DOCTRINA CARTESIANA
DE VERO ET FALSO
EXPLICATA ATQUE EXAMINATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. M. MARTII A. MDCCCLXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS BAUMANN

MOENOFRANCOFURTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

SIEGFR. BRIE, DR. JUR. UTR.
HERM. JENTZSCH, PHIL. DR., ADJ. IN GYMN. REG. JOACH.
RICH. NOETEL, ADJ. IN GYMN. REG. JOACH.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

ADOLPHO TRENDELENBURGIO

PHILOSOPHO

D. D. D.

JUL. BAUMANN.

In eam philosophiae formulam, quam Cartesius ante hos fere ducentos annos praestantissimo ingenio summaque disserendi subtilitate composuit, et a principio multa a multis dicta sunt et hodie fere dicuntur; ut taceam, quot quantique viri statim ad eam refellendam sese accinxerint, non ita multo post ideis, quas introduxerat Cartesius, innatis et rationi a sensibus remotae acerrimus adversarius extitit Lockius; illud argumentum, quo deum esse concluserat, quod probaverat atque emendaverat Leibnitius, Kantius funditus evertit; idem eam rationem, qua Cartesius animum a corpore natura sua separatum esse voluit, labefactavit; tum, qui cum Hegelio erant, censuerunt, duae substantiae diversae, cogitatio et extensio, cum a Cartesio statuerentur, repugnantia statui; neque enim substantiam praeter se habere, quo terminetur. Sed summo omnium assensu comprobatum est id, quod Tennemannus pluribus exposuerat, omnem Cartesii disciplinam hoc vitio laborare, ut primum inde, quod verum esset et exploratum nos esse ac dei habere notitiam, efficeret deum esse, deinde verum esse nos et esse et rerum aliquas veras notitias habere ex eo probaret, quod deus esset. Is est circulus, quem vocant, vitiosus, qui post Tenneman-

num in scholis philosophorum in Cartesiana laude nunquam non solet notari. — His luminibus extinctis, quibus Cartesius sibi videbatur tenebras philosophiae dissipasse, praetermissus est a plerisque locus, qui maxime rem caussamque continet, vel leviter a quibusdam perstrictus; nam quae singula in philosophia decreta Cartesius proposuit, ea nituntur omnia una eademque lege, quam negat a quoquam prodi posse, ut claris et distinctis rerum ideis non possit mens non assentiri. Hac inducta et constituta veri percipiendi a falsoque internoscendi regula, et ea quidem, quemadmodum arbitrabatur, expedita, soluta, libera, nulla re implicata, cum alia permulta, tum ea, quae supra enumeravimus, facili negotio expedire conatus est. Huic regulae cum non deessent qui diffiderent, nemo tamen, quod sciam, diligentius inquisivit, unde nata,quid potissimum dicat in quibusve rebus jure adhibeatur. Improbabant plerique, propterea quod, cum saepe usu veniret, ut falsa esse quis postea cognosceret, quae antea clare et distincte percepisse se opinaretur, non propria veri, sed communis veri et falsi haec nota esse videretur. Leibnitius inutilem hanc regulam judicavit esse non adhibitis aliis quibusdam notis, ac prius cognitum esse oportere vel a priori vel a posteriori rem posse fieri vel esse; ap. Dut. II, p. 17. Ne haec quidem Cartesianae regulae a Leibnitio nota adjuncta satisfaciebat Kantio, perneganti, quia possit esse aliquid neque sibi ipsi repugnet, sequi ut statuamus esse; clare et distincte si quid animo obversetur, notionum virtutem esse, non testimonium neque indicium rerum veritatis. Nihilo minus ista regula doctos et acutos homines ab initio

movit; non modo eos, qui Cartesium secuti servata illa, quae quasi de caelo delapsa videbatur ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia judicia dirigerent, partim de hujus placitis non se sinebant pelli; partim vel, ut Malebranchus, nonnulla immutaverunt, vel, ut Spinoza, in quibusdam plane a magistro defecerunt. Quid? quod ne Humius quidem sensuum judicia alia ratione defendit quam Cartesius, qui evidentiora et illustriora ea esse dixerat, quam quae animus otiose vel depravate fingeret; in quo cum deum omitteret, cui fisus Cartesius scientiam in sensibus esse putabat, firmam et probabilem opinionem, sed quae vera a falsis distingueret, in eisdem voluit esse. Neque contemnenda est ratio et oratio hominum eorum, qui nullis philosophorum praeceptis imbuti, sed rerum usu exercitati de multis saepe incorrupte et integre judicare solent; hi plerique haec verae perceptionis indicia prae se ferunt, clare ab se et distincte rem esse intellectam. Atque etiam Schellingianam rationem attingit quodammodo Cartesiana regula, vetantis rationibus argumentisque philosophiam concludi, intellectu potius vertitatem intuendam et contemplandam esse.

Hanc de regula veri falsique distinguendi, quam Cartesius stabilivit, quaestionem explicare in animo est; eique sententiae quae sint conjuncta, breviter exponere; simul lubet dicere, qua in parte haec regula nobis probetur, qua minus; nam perspecta origine ejus ac natura, cum non tam, quibus verbis conceperit eam Cartesius, quam quid senserit, animadverterimus, facile omnes concedent habere illam, quod simplex et sincerum et ad veritatis indagationem atque investigationem

aptissimum sit. Sequemur autem in enarranda breviter doctrina Cartesiana potissimum quartam meditationem, quae tota in hac materia tractanda versatur; sed moniti ab ipso Cartesio, ne, dum partem hujus philosophiae curemus, totam deseramus, ex aliis meditationibus et disputationibus his adnexis, praeterea ex iis libris, qui sunt de methodo et de principiis philosophiae, atque etiam ex litteris, quae ejus nomine feruntur, quantum quoque modo videbitur, hauriemus. Quadripartito videtur haec de vero et falso disputatio instituenda esse: primum dicendum est, quid sit illud, quod, ut primum satis explorate cognitum et perceptum est, verum esse reperiatur; quaeque in eo contemplando regula velut sua sponte animo offeratur; quaeque in eadem cum illo ratione esse voluerit; deinde quarum rerum occultarum hac regula magistra ac duce ignorationem tollere conatus sit; tum quid de erroris natura et causa docuerit; denique qua ratione deum, quem rerum cognoscendarum auctorem introduxit, a crimine errorum immissorum liberarit.

I.

Vetus quaestio est et agitata ab omnibus philosophis, quae sit vera perceptio, quae falsa; quotus enim quisque est, qui quidquid vindatur, tale audeat dicere esse, quale videatur? Atque eis, quae maxime verisimilia animo offeruntur, quamvis adjuncta sit, ut ajunt philosophi, fides quaedam moralis, quae tanta est, ut nemo nisi insanus de his dubitare posse videatur[1]), tamen Cartesio erat persuasum, non minus quenquam,

[1]) De meth. p. 24 ed. Elzev. 1672.

nisi rationis expertem, posse infitiari, quotiens de veritate metaphysica quaeratur, multa esse, propter quae illa omnia in dubitationem vocari queant. Nam illam persuasionem esse, et superesse rationem aliquam, quae possit nos ad dubitandum impellere; at a sapiente scientiam quaeri, quae sit persuasio menti infixa atque inhaerens ratione tam valida, nulla ut unquam magis valida convelli possit[2]). Sed qui possimus confidere vera nos percepisse, cum et sensus saepe fallant ac nulla videatur certa esse differentia somniantium et vigilantium, et facile in eam incidamus suspicionem, deum aliquem naturam humanam ita constituisse, ut in perpetuo versandum nobis sit errore. In hac summa omnium cogitationum perturbatione spes affulget Cartesio, si vel minimum quid invenerit, quod sit certae et exploratae veritatis, inde ad majora et plura patere aditum[3]). Jam removet omnia, in quibus vel levissima sit dubitatio; hoc unum tenet: fingo, inquit, nihil esse in mundo, non caelum, non terram, non corpora ulla, certe ipse ego sum, quisquis hoc fingo; nec si deus, quantum potest, me fallet, unquam efficiet, nihil ut sim, quamdiu me esse aliquid cogitabo; itaque statuendum erit, quotiens a me vel voce profertur vel mente concipitur: me esse, me extare, necessario esse verum. Neque omnibus a natura mea separatis haec cogitatio unquam a me divelli potest. Sum igitur res cogitans h. e. dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque et sentiens. Haec omnia ad me pertinent; an non ipse ego sum, qui jam dubito fere de omnibus, qui nonnihil tamen intelligo, qui hoc unum

[2]) Epp. p. 81 ed. Blavianae 1682. [3]) Med. II, p. 9 ed. Elzev.

verum esse affirmo, nego cetera, cupio plura nosse, nolo decipi, multa vel invitus imaginor, multa etiam tanquam a sensibus venientia animadverto? Quid est horum, quamvis semper dormiam, quamvis etiam is, qui me creavit, quantum in se est, deludat, quod non aeque verum sit quam esse me[4]). Nam certe videor videre, audire, calescere, similia; id quod praecise sumptum nihil aliud est quam cogitare[5]).

Non negat Cartesius, quin ante hanc primam et certissimam sententiam: cogito, ergo sum, oporteat sciri, quid sit cogitatio, quid existentia, quid explorata rerum veritas, sed has simplicissimas notiones non censuit explicandas[6]). Ea tamquam per se nota simplici mentis intuitu agnosci; et hoc: „quidquid cogitet, idem esse“ inde disci, quod experti simus in nobis fieri non posse, ut cogitemus, nisi simus[7]). Quaerit deinde, quoniam certum sit se esse rem cogitantem, num forte etiam teneat, quid requiratur, ut alicujus rei certa habeatur scientia. At esse in hac cognitione nihil aliud quam claram quandam et distinctam perceptionem ejus, quod affirmetur; quod non satis esse ad persuadendum de rei veritate, si posset unquam accidere, falsum ut esset, quodcunque ita clare et distincte perciperetur. Hinc videri regulam generalem statui posse: illa omnia vera esse, quae valde clare et distincte percipiantur[8]). Claram esse perceptionem, quae menti attendenti praesens et aperta sit; sicut ea clare a nobis videri dicamus, quae oculo intuenti praesentia satis fortiter et aperte eum moveant; distinctam, quae, cum clara sit,

4) Ibid. 11. 5) 12. 6) Princ. I, 3. 7) Resp. II, 74.
8) Med. III, 15.

ab aliis ita sit sejuncta et praecisa, ut nihil plane aliud, quam, quod clarum sit, in se contineat[9]). Tum explicat genera idearum, ut clarae et distinctae ab obscuris et confusis separentur; quae omnes si solae in se spectentur nec ad aliud quid referantur, falsas non esse, non magis quam voluntatem et affectus, at praecipuum errorem consistere in eo, quod ideas, quae sint in nobis, judicemus rebus quibusdam extra nos positis esse similes sive conformes. Haec judicia parum firma esse[10]), nam quamvis impetu quodam naturae feramur ad assensum sensu oblatis praebendum, tamen non lumine naturali nobis ostendi vera, quandoquidem, quae lumine naturali doceamur, de iis non possit dubitari; mathematica et geometrica adeo esse evidentia ac perspicua, ut his aegre et moleste diffidamus et, si quis dixerit bis bina non esse quattuor, repugnantia videatur manifesta; at esse diffidendum, simulac de deo formido animum invaserit. Quanquam esse quaedam, at ea perpauca, quae de corpore clare et distincte percipiantur: magnitudinem sive extensionem in longum, latum, profundum, figuram sive terminationem magnitudinis, situm, quem diversa figurata inter se habeant, motum sive istius situs mutationem, ad haec substantiam, durationem, numerum; cetera, odores, colores, similia, percipi ea quidem tactu interno, sed adeo obscure et confuse, ut in summa ignoratione versemur, verane sint an falsa i. e. utrum rerum ideae sint necne. — Placet hoc loco de cursu meditationum deflectere eaque conquirere, quae, similiter atque sententia illa: cogito, sum, tanquam lumine naturali sumuntur

[9]) De princ. 12. [10]) M. III, 16.

ad rationes concludendas, quae communes notiones a Cartesio appellantur nec, quin clare et distincte percipiantur, dubitatur; eadem et axiomata et veritates aeternae dicuntur, quae sint innumerabilia, ut difficile visum sit ipsi Cartesio ea recensere, neque opus esse, cum non exquisitis rationibus confirmentur, sed satis esse, cum occasio oblata sit, admoneri[11]). Horum in numero reponuntur dilucidis verbis praeter illud: eum, qui cogitet, non posse non esse, dum cogitet, alia permulta; collegi haec fere: omnes res eodem modo se habere in ordine ad ipsam veritatem, quo se habent in ordine ad nostram perceptionem, Resp. IV, 124; nihil esse in mente, quatenus sit res cogitans, cujus non sit conscia Resp. IV, 132; non posse nos ullam rerum cognitionem habere, nisi per ideas, quas de illis concipimus, ac proinde debere nos de illis judicare secundum ideas istas, immo et cogitare esse absolute impossibile et implicare contradictionem, quidquid ideis istis repugnet Epp. I, 105; non posse nos dubitare, num cogitemus Epp. III, 50; magnum esse argumentum veritatis, quidquid non queat non concipi; haec implicare, non esse; qui locus exstat in adversariis Cartesianis editis nuperrime a Foucher de Careil p. I, 58; ea, quae semel facta sint, infecta esse non posse Resp. II, 77; sed hoc principium identitatis non posse adhiberi ad rei cujuspiam existentiam investigandam, sed solum ad rei cognitae veritatem ratiocinatione aliqua firmandum Epp. I, 118; constare inter omnes philosophos a particularibus accedi ad universalia Resp. V, 143; adaequatam cognitionem rei nec de infinita nec fortasse

[11]) Princ. I, 13.

de ulla alia re haberi Resp. V, II, 65; neminem ullam unquam rem ita nosse, ut certo sciat, nihil plane aliud in ea esse quam id ipsum, quod cognoverit; sed quo plura de aliqua re percipiamus, eo melius dici nos eam nosse. — Ex nihilo nihil fieri Princ. I, 13; omne id, quod sit, vel esse a causa vel a se tanquam a causa; nihil posse fingi ita esse a sese, ut nulla danda sit ratio, cur potius existat, quam non existat Resp. I, 58; nihili nullum esse reale praedicatum Resp. II, 86; non requiri ad rationem efficientis, ut tempore prius sit suo effectu Resp. I, 54; tantundem ad minimum esse debere in causa efficienti et totali, quantum in ejusdem causae effectu Medd. p. 18; cum mens finita sit, non posse eam cognoscere, num quid series causarum sit infinita, nisi quatenus ideam causae primae in se contineat Epp. I, 105. — Omnem ideam causa indigere, quare concipiatur Resp. I, 54; omnem perfectionem, quae sit objective seu repraesentative in idea, tanquam in imagine, debere esse realiter in aliqua ejus causa Resp. II, 72; neque in nobis ideam seu imaginem ullius rei esse posse, cujus non alicubi sive in nobis ipsis sive extra nos archetypus aliquis, omnes ejus perfectiones reapse continens, existat Princ. 5. — Esse distinguendum inter existentiam possibilem et necessariam: in eorum quidem omnium, quae clare et distincte intelligantur, conceptu sive idea existentiam possibilem contineri, sed nullibi necessariam nisi in deo Resp. I, 60; nam id, quod propria sua vi possit existere, semper existere Resp. I, 62; competere possibilem existentiam iis quoque, quae per figmentum intellectus componantur Resp. I, 62; possibile esse omne, quod non repugnet

humano conceptui Resp. II, 80; in omnis rei conceptu contineri existentiam Resp. II, 89; id omne, quod clare percipiamus, esse verum, atque adeo existere, si quidem percipiamus fieri non posse, quin existat; aut saltem posse existere, si perspiciamus existentiam ejus esse possibilem Epp. III, 60. — Diversos esse gradus realitatis seu entitatis: modum, accidens, substantiam finitam, substantiam infinitam Resp. II, 88; substantiarum ideas majus aliquid esse et plus realitatis objectivae in se continere, quam ideas modorum et accidentium; atque ideam dei plus profecto realitatis quam ideam ullius rei finitae Med. III, 18; eum modum, quo ideae in intellectu esse soleant, longe imperfectiorem esse quam illum, quo extra intellectum existant, sed non idcirco plane nihil esse Resp. I, 53; magis esse perfectum, idem esse, ac plus realitatis habere Med. III, 18; existentiam pertinere ad numerum qualitatum seu attributorum sive ad ea, quae de re possint praedicari Resp. V, II, 74; non fieri id, quod est perfectius, ab eo, quod est perfectum minus Princ. 5; eam rem, quae norit aliquid se perfectius, a se non esse Princ. 6; majorem perfectionem esse non dividi quam dividi, similia Resp. II, 73; imperfectionis esse dubitare, cupere, deesse aliquid Med. III, 21; unitatem, simplicitatem sive inseparabilitatem eorum omnium, quae in deo sint, esse praecipuam perfectionem dei Med. III, 23; omnem fraudem et deceptionem a defectu esse Medd. 24; validam esse conjecturam ad aliquid affirmandum, quod illo posito mundus intelligatur perfectior, apud Foucher de Careil p. I, 58. — Quaedam luculenter a Claudio Clerselierio exposita sunt in iis, quae praemisit libello, qui

est de homine: nihili nullum esse reale attributum, itaque si cognoscamus reale aliquod attributum, per hoc deveniri in cognitionem substantiae, cui insit; hanc unicam viam esse, qua cognoscere queamus, substantiam aliquam actu existere nec non cujusmodi ea sit; nam quatenus substantia sit, i. e. quatenus ea voce denotetur res, quae per se et absque alterius sustentaculo subsistat, menti nostrae nequaquam se ipsam notam reddere posse. Et essentiam et existentiam plurium rerum non judicari nisi ex attributis, proprietatibus, qualitatibus, quarum in nobis habeamus ideas, quasque ad illam substantiam pertinere concipiamus; diversae ubi sint qualitates, diversas esse substantias; similes si sint qualitates, neque tamen eaedem, plures esse substantias. Eandem esse rationem substantiae et modorum; cogitationem posse concipi sine voluntate, at voluntatem minime sine cogitatione; ergo cogitare esse substantiam, velle modum cogitantis substantiae. — Rei cogitantis voluntatem ferri voluntarie quidem et libere, sed nihilo minus infallibiliter in bonum sibi clare cognitum Resp. II, 88; libertatem arbitrii esse, quia omnes in nobis experiamur Resp. III, 103. — Corpus agere in corpus idque sola superficie Resp. IV, 139; tempus praesens a proxime praecedente non pendere ideoque non minorem causam requiri ad rem conservandam quam producendam Resp. II, 88. — Hae sunt ex primis notitiis rerum, quibus negat Cartesius esse quicquam evidentius aut certius Resp. II, 77; quas consulto cogitatoque non ex methodo neque ex meditationibus neque ex principiis plerasque quaesivi, ubi quasi suo quodam jure tanquam ab omnibus receptas

suum in usum convertit, sed collegi ex responsionibus et litteris, in quibus eas aperte defendit ac retinuit contra sententias multorum. Nulli vero se rei scribit magis studere quam his simplicissimis veritatibus advertendis, quae cum mentibus nostris innatae sint, simulatque alius admoneatur, non putare eum, se illas unquam ignorasse Resp. VII, 84; hae sunt illae planae ac faciles viae, quas ait se sequi Obj. VII, 151; hae notiones metaphysicae, natura sua non minus notae vel notiores etiam quam geometricae, Resp. II, 85, quae facilius exemplis quam regulis addiscantur Resp. II, 87; hae ideae innatae h. e. potentia nobis semper inexistentes, Resp. VI, 188, quarum in nobis facultatem habeamus eliciendarum Resp. III, 102; cumque tria sint genera idearum, ad fictitias voluntatem concurrere, ad adventitias sensus, ad innatas solam intellectus perceptionem, ap. Fouch. de Car. p. I, 64. Haec principia sunt, a quibus proficiscentibus licet ad scientiam pervenire; qua quasi concatenentur rationes et effectus a causis deducantur. Haec ait omnibus omnino philosophis hactenus communia fuisse; quae deinde ex iis deduxerit, jam ante in iis contenta et implicita fuisse tam clare ostendi, ut etiam antiquissima, utpote humanae menti a natura indita, appareat esse, ad P. Dinet 152. Sed initium faciendum esse a sententia illa: cogito, ergo sum, sive ab idea mentis nostrae, cujus nobis intime conscii simus; Resp. VI, 166; neque enim ullius nostrae actionis certos nos esse (nempe certitudine metaphysica, qua de sola agatur) praeter solam cogitationem Resp. V, II, 58; quae cum vera sit, quae aeque clara et distincta perceptio sit, regulam esse rei veri-

tatis, igitur omnia de re aliqua judicia ut recta sint, huic perceptioni conformia oportere esse Resp. V, 145.

His omnibus cum contingere dicatur veritas ex claritate sua et distinctione, primum videamus, quid sibi velit haec claritas et distinctio; in qua nota stabilienda arbitratu nostro Cartesius lapsus est. Non nos quidem animum inducimus infitiari verum esse illud: ego cogito, ergo sum; libenter adjicimus, in hoc primam et certissimam veritatem dubitantibus deprehendi; verum quam ob rem deprehenditur? Hac in parte qui nolit se decipi, meminisse debebit, cerni veritatem in perceptione cum re ita conjuncta, ut perceptio sit rei accurata imago, res velut quaedam non efficta, sed effecta perceptio; quae qui tenet, de veritate rei non laborabit. Sed singulari quodam modo cadunt haec in mentem nostram, in qua cogitare et esse sunt velut unum quid; in quantum enim cogitat, est; in quantum gaudet esse se, in tantum cogitat, quae in hac adeo colligata et confusa videntur, ut ne ratione quidem distingui posse videantur. Hinc efficitur, ut, quacunque in re cogitare et esse similiter se habent atque in animo nostro, ibi vera adsint. Sed occurretur nobis ab intelligentibus harum rerum viris, quaerentibus, ulla in re num simile quid habeatur. Quibus hoc dico hoc loco: non modo verum esse, scire nos, quid simus, verum etiam scire nos, quae facimus ipsi; cum ne animus quidem noster sit omnino nisi moveatur et sit actio quaedam perpetua et operatio. Efficiendis rebus scientiam habemus rerum nec opus est, ut efficiamus manu, sed satis est mente, velut astronomi mente dimensi sunt sidera cursusque coelestes mente explica-

verunt. — Causae notionem Cartesius voluit innatam esse et veram, quia clara sit et distincta; nobis vera est, quia maximo usui est in scientiis et artibus; eo velut lumine detegimus, quae natura primo aspectu crassis circumfusa sunt tenebris; usu probatur et in nobis et extra nos; quam clara sit, Cartesius viderit; nam id semper fugiet nos, qua ratione institutum sit, ut, exempli gratia, cogitando moveatur brachium. Nihil dico amplius hoc loco; acta res est, cum appareat, quae sit causa exploratae veritatis enunciati Cartesiani: ego cogito, ergo sum. Non tamen silentio videtur praetereundum esse, Kantium, cum opus aggrederetur arduum a ratione ipsa velut rationem requirere, idcirco statuisse, ut patet in Prolegomenis, esse generales quasdam ac necessarias ideas, quia in mathematicis et rebus naturalibus tales deprehenderat esse et usu probatas esse; atque etiam ea, quae exposuimus, vera si sunt, tum denique Kantianas difficultates expediri, quas ille movit in logicis ab Jaeschio editis, ubi haec sunt: „Ut aliquid materialiter verum sit, oportet cognitionem meam consentire cum re. At rem cum cognitione mea conferre non possum nisi cognitione rei. Hoc modo cognitio mea sua se fide confirmat; quod non est satis ad verum percipiendum; nam cum res sit extra animum meum, cognitio autem in animo, nihil est in mea potestate, nisi ut dijudicem, num ea, quam de re aliqua habeo cognitionem, cum hac cognitione rei conveniat. Is est circulus vitiosus, qui a veteribus *τρόπος διάλληλος* est appellatus; quod vitium sceptici logicis nunquam non exprobaverunt dixeruntque similem esse eam veri explicationem, ac si quis, cum apud judices cau-

sam agat, testem producat, quem nemo noverit, sed qui fidem sibi conciliaturus sit eo, quod contendat, a quo productus sit, virum bonum esse. Atque hoc opprobrium justum est; verum haec, quae illata est, difficultas nunquam ab ullo mortali poterit expediri." Ne ipse quidem Cartesius ab ea, quam proposuimus, sententia videtur plane alienus fuisse; nam et juvenis plurimum arbitrabatur veritatis inveniri in iis ratiocinationibus, quibus singuli homines ad sua negotia uterentur et quorum malo successu paulo post puniri solerent[12]), et ad maturam aetatem cum pervenisset, in singulis scientiis hoc summi putabat esse momenti, ut experientia effectus certissimos evinceret esse, causae, a quibus eliceret, explicarent effectus, ipsae probarentur effectibus[13]); i. e. reputat causas esse veras, quoniam his causis haec effici probentur. Nobis cum placeat id repetere ex illo: cogito, ergo sum, ut efficiendis rebus vel manu vel mente vel utraque veritatem h. e. num judicia nostra sint conjuncta cum re, metiamur, quaeritur, qua ductus re Cartesius in claritate et distinctione posuerit veritatem. — Claritatis nomen ab oculis ad animum translatum est: quodcunque mentis acie intenta velut sua se sponte offert et naturam suam aperit, ut et partes, quibus constat, et totum, quod has complectitur partes, animadvertantur, clare agnoscimus; distincte, quodcunque clarum cum sit, si conferatur cum aliis, non confundatur cum his, sed sua quadam specie et qualitate a ceteris differat. Patet claritatem et distinctionem summas rerum vel mente vel verbis concipiendarum virtutes esse; quae si desunt, res ob-

[12]) De meth. 6. [13]) Meth. 47.

scurae et confusae sunt et in iis aliquid continetur, quod est ignotum Resp. II, 78; claritas complexum notarum designat, distinctio claras notiones tanquam proprias constituit; quae si forte concurrant, perficitur notio atque absolvitur. — His nominibus claritatis et distinctionis explicandis succurrimus, quantum quidem in nobis fuit, Cartesio; ipse haud quaquam ita definivit, sed multis plerumque verbis ejusdem significationis in unum collatis rem studuit explicare; velut cerae notionem clariorem et distinctiorem ait effici, quo magis ad ea, ex quibus constet, attendamus[14]); distinctiorem visam esse, postquam pluribus ex causis innotuerit[15]); at non tantum multo verius, multo certius, sed multo etiam distinctius evidentiusque mentem a se ipsa cognosci[16]); doloris summi clarissimam esse perceptionem, raro distinctam, quia plerique in parte aegra falso putent esse simile quid doloris[17]). Clarissime et distinctissime mentem censet cognosci, quia, quidquid de aliqua re affirmetur, affirmetur a mente addique possit ejus naturae; in corporibus cognoscendis distinctio est explicata series rationum et causarum: „cum vero eae res, ait, occurrant, quas distincte unde, ubi et quando mihi adveniant, animadverto, earumque perceptionem absque ulla interruptione cum tota reliqua vita connecto, plane certus sum non in somnis, sed vigilanti occurrere[18]). Mirum est fugisse Cartesium, cum maxime clarae et distinctae sint notiones, nihil dici nisi quid res sint, nec haberi, num sint; cui si hoc venisset in mentem, veritatem illius sententiae: cogito, ergo sum, non petisset a cla-

14) Med. II, 11. 15) Med. II, 12. 16) Med. II, 12. 17) Princ. 12.
18) Med. VI, 46.

ritate aut distinctione, quae quamvis cognitionis virtutes sint maximi faciendae, tamen ad veritatem affirmandam parum valent. Quodammodo tamen sensit; nam, ne confusio et perturbatio veritatum sequeretur, et operam dedit, ut, si non claras et distinctas ideas omnes, certe obscuras et confusas sedulo dinumeraret; et plus semel aliam veri notam nominat, ut id verum esse dicat, quod, quin statuamus, repugnantia videatur manifesta, vel illud: magnum esse argumentum veritatis, quidquid non possit non concipi; haec implicare, non esse. Non jam claritas index est veritatis, sed tum verum esse pronuntiat, cum velut necessitate quadam coactis verum esse sentiendum sit; quae necessitas tum adest, cum aut omnis cogitatio sit nobis relinquenda aut quaedam ut vera amplexanda. Exempla praebent Cartesio mathematicae veritates; neque enim posse non credi, tria et duo conjuncta esse quinque; qua in re elucet nostra veri quaerendi ratio; nam mathematica quia et mente finguntur et formantur et usu rerum probantur, vera sunt; quae si quis vi menti suae quasi illata negaverit vera esse, finget fortasse duo addita tribus esse septem, verum his non utetur et quotiens singulis partibus binarii et ternarii numeri computandis de integro velut efficturus est quinarium, nunquam non in hunc ipsum incurret. — Altera illa regula, quae est de claritate et distinctione, quemadmodum proditur exemplo, quo in explicanda utitur Cartesius, sumpta videtur a rebus visu perceptis, quae si animum perspicuitate et evidentia movent, ut non videantur ab iis proficisci, quae non sunt, vera a Stoicis dicebantur; quae Cartesius ab oculis ad animum transtulit. At

quantumvis, verae perceptiones, opera danda sit, ut clarae et distinctae fiant, tamen a claritate et distinctione non debet argumentum sumi veritatis; quae veris ac falsis pariter competunt.

Sequitur, ut breviter disserendum sit de his notionibus, quas communes appellavit Cartesius quasque tanquam claras et distinctas cum illa principe sententia in eodem veritatis gradu collocavit; sunt hae breves concisaeque sententiae, ex quibus postea ab aliis volumina ontosophiae et ontologiae composita sunt, dum vetuit Kantius arreptis undique et quasi per tumultum collectis in philosophia notionibus usurpari; quanquam ne Kantius quidem hoc vitio vacat, quo in illa parte maxime laborat Cartesius, ut multa nullo instituto denuo judicio pro certis ratisque habeat, quae tum in scholis vel omnibus vel quibusdam pro certis venditabantur. Nonnulla ex his vere dicuntur; quaedam obscure significantur, exempli gratia, universalia componanturne ab intellectu humano fingente ex particularibus, an horum admoneatur tantum intellectus visis singularibus; huc pertinet illud quoque, cognitionem rei nullam adaequatam esse; in quo non animadvertit, naturam rei perspectam ab adaequata cognitione non differre. Quaedam physica ab intelligentibus harum rerum viris explosa sunt. Sunt quae nimis subtiliter ac paene subdole disputantur, velut illud, tempus praesens a praeterito posse separari ideoque conservari idem esse atque creari de integro; quo tollitur omnis cohaerens et continuata rerum progressio et decretum Galileanum de vi, quae dicitur, inertiae, quod Cartesius ipse in summis legibus naturae esse dixit. Alia, de quibus ab anti-

quissimis temporibus summa inter philosophos disceptatione certatum est, sine ulla dubitatione defenduntur; inter ea locus vel maxime vexatus de libertate arbitrii multaque ad mores pertinentia; eaque ipsa quam leviter interdum dicuntur, velut illud: posse fallere esse fortasse nonnullae perfectionis argumentum! Sed tria sunt, quae maxime rem caussamque continent: primum quod existentiam in perfectionibus annumerat et ejus gradus constituit dicitque, modum minus esse et idcirco idem imperfectius quam accidens, accidens quam substantiam, substantiam finitam quam infinitam; deinde quod causam idearum flagitat, quae extet extrinsecus; denique quod diversis ideis diversas substantias vult subesse: quibus assumptis facile et deum esse et mentem humanam a corporis natura sejunctam esse concludit. De substantiis infra erit dicendum; de existentia tanquam perfectione nihil attinet disputari; res a Gassendo in V objectionibus et a Kantio confecta est, negantibus esse existentiam perfectionem ac potius id, sine quo nulla detur perfectio. De causis lubricus sane locus est; rerum plerique causas quaerunt externas, at idearum Cartesius postulavit; neque immerito, ut videtur; nam ut verae sint habeantque, quod ipsis respondeat in rerum natura, solido necesse est fundamento nitantur. Sed illud falsum, quod reputat ceteras ideas a mente potuisse effingi ex eaque velut causa pendere, dei non posse; nec profecto si summae perfectionis idea est in nobis, alia hujus rei causa excogitanda videtur quam quod mens sit efficiens ejus, sicut multarum et magnarum rerum, quae nihilo secius optatae magis quam verae videntur. Etenim omnes

ideae si extrinsecus advolarent in mentem atque, ut scite Leibnitius, velut per fenestras in eam ascenderent neque ei natura quicquam infixum haereret, tum verum erat dicere, omnem ideam habere causam extra intellectum positam, unde advenisset in animum; sed hoc non est continuo, rem, quae intelligitur, extra animum extare; ac ne ii quidem, qui illa sentiebant, fingendi amplissimam libertatem menti ademerunt.

Unum superest ex iis, quae hoc capite tractanda sumpsimus, examine diligenti dignissimum. Etenim cum Cartesius iis fidem adjungat, quae clara et distincta sint, eaque pro veris habeat, — qui factum est, ut his necessariam existentiam denegarit, attribuerit possibilem? An non hoc: cogito, sum, quotiens cogitationem subit, necessario verum est? cui sententiae cum ceterae, quae communes vocantur notiones, pares sint claritate et distinctione, non possunt non esse verae. Adjungimus iis, quae supra ad hunc locum attulimus, haec de Princ. 4 petita: ubi ait in dei idea existentiam non possibilem tantum et contingentem, quemadmodum in ideis aliarum omnium rerum, quas distincte percipiamus, sed omnino necessariam et aeternam agnosci. Hanc quam claris et distinctis ideis addicit possibilem et contingentem existentiam, eandem non abjudicat a figmentis intellectus Resp. I, 62 neque a qualicunque re, modo ne humano conceptui repugnet Resp. II, 80; huic non repugnare, cujus in formali conceptu nihil sit, quod involvat contradictionem; ibid. Ita firma illa ac stabilis veri percipiendi nota infirmatur atque extenuatur, ne quid de idea dei videatur detrahi; hac in parte Cartesius turpiter lapsus est; nam interest

inter ea, quae necessario cognoscimus, esse, et ea quae cognoscimus, necessario esse; illud multis, quorum certa et explorata veritas est, commune est, hoc videtur dei proprium; haec confundens Cartesius certam veritatem a ceteris removet, dei ideae adnectit; hinc viam sibi parat ad veritatem omnis rerum cognitionis a dei idea petendam.

II.

Alterum caput erat, ut perpenderemus, quarum rerum occultarum ignorationem regula veri inveniendi tradita Cartesius sustulerit. Qua in parte de deo omnis paene consumetur sermo. Nam antea, cum Cartesius in dubitatione haereret, de deo formido ejus animum incesserat, ne forte ejusmodi se affecisset natura, ut in iis etiam deciperetur, quae manifestissima viderentur; sed quotiens ad res clare et distincte ab se perceptas animum advertebat, plane ei persuadebatur, nunquam effici posse, nihil ut esset, quamdiu se esse aliquid cogitaret, quaeque sunt hujus generis similia. Sed resederat tamen in animo dubitatio quaedam, valde illa quidem tenuis et — sic enim loquitur — metaphysica, nec dei natura ignorata de ulla alia re plane certus esse posse videbatur. Multo etiam magis quam in meditationibus urguet hoc in principiis 4, ubi est, merito nos dubitare ac videri nullam haberi posse certam scientiam, priusquam nostrae auctorem originis agnoverimus. At esse deum, quia in ejus idea, summe intelligentis, summe potentis, summe perfecti contineatur existentia; nam summae perfectiones, quarum ideam habeamus, cum in nobis nullo modo reperiantur et alicubi cogantur

esse, in deo sint oportere[19]); cumque nos non simus a nobis, eum, qui nos conservet, multo magis se ipsum conservare h. e. esse deum. Haec argumenta omnia infirma sunt et a multis labefactata; sed his ipsis efficitur concluditurque deum esse nec esse deceptorem. Jam quia omnis clara et distincta perceptio procul dubio sit aliquid ac proinde a nihilo esse non possit, sed necessario deum auctorem habeat, haud dubie veram eam esse. Persuadet sibi, quidquid clare et distincte cognitum sibi perceptumque sit, hoc a deo sibi inditum esse ab eoque posse fieri[20]). Ne nunc quidem vera haec ait esse, sed tantummodo posse fieri. Totus hic de deo locus turbarum et controversiarum plenus est; neque sententia ei constabat. „Etsi enim, inquit Med. V, 34, ejus sum naturae, ut, quamdiu aliquid valde clare et distincte percipio, non possim non credere verum esse, quia tamen ejus etiam sum naturae, ut nequeam obtutum mentis in eandem rem semper defigere ad illam clare percipiendam recurratque saepe memoria judicii ante lati, cum non amplius attendam ad rationes, propter quas tale quid judicavi: rationes aliae afferri possunt, quae, deum si ignorarem, facile me ab opinione dejicerent, atque ita de nulla unquam re veram et certam scientiam, sed vagas tantum et mutabiles opiniones haberem.“ Cujus rei adfert exemplum ex mathematicis sumptum; haec ita explanavit postea Resp. II, 74, non se loqui nisi de scientia conclusionum, non de principiis sive primis notitiis; hac scientia carere atheum, quia nulla cognitio, quae dubia reddi possit, videatur recte scientia appellari; at in Prin. 4

[19]) Prin. 5, 6. [20]) Med. VI, 39.

hac dubitatione videntur tantum non affici hae ipsae notitiae. — Non nobis videtur hoc loco diutius insistendum esse; sed res paucis conficienda est. Primum enim deus si est auctor rerum universitatis, non est auctor nobis rerum cognoscendarum; ingens inter hoc et illud est discrimen; confudit Cartesius et judicavit, quia deus solus omnium, quae sint aut possint esse, vera causa sit, optimam nos philosophandi viam secuturos, si ex ipsius dei cognitione rerum ab eo creatarum explicationem deducere conemur, ut scientiam perfectissimam, quae est effectuum per causas, acquiramus[21]). Neque multo plura tamen ex idea dei deduxit quam ut tuto claris et distinctis assensum praeberemus; neque amplius mathematicas veritates, quia maxime essent perspicuae, esse suspectas et in sensibus, dlstinctis, quae in vigilia, quae in somniis clara et distincta essent, facile in qualibet re verum inveniri. — Quid? quod dei metus tolli possit hac conclusiuncula: si non est, non poterit fallere; si est, nolet? Nonne id inprimis mirum est, cum primas notitias animadverterimus, veras esse judicari, dubitari de iisdem, cum meminerimus? ac dubitatio si inciderit, non ad notitias rediri, ad deum confugi? qui cum possit facere, quae nos clare et distincte percipimus, non est inde evidens eum fecisse; atqui quid possit esse, curiosorum est quaerere, philosophorum, quid adsit quidque praesens sit; ne dicam de circulo vitioso, qui in his Cartesianis multorum excitavit vituperationes. Verum haec videntur non tam a Cartesio inventa esse, quam, accepta ab Augustino et scholasticis doctoribus, limata et perpolita et, quo erat acerrimo ingenio, cum

[21]) De princ. VII.

reliquis placitis suis colligata ac connexa. Certe singula legi apud Thomam Aquinatem, in eo libro, qui est contra gentiles ab hoc philosopho conscriptus: haec annotavi: circa ipsas rerum naturas seu quidditates non posse intellectum errare. l. III, c. 91; ea, quae naturaliter rationi sint indita, constare verissima esse, in tantum, ut nec ea falsa esse possibile sit cogitare l. I, c. 7; principiorum naturaliter notorum cegnitionem nobis divinitus esse inditam, cum ipse deus sit auctor naturae nostrae l. I, c. 7. — Non est inauditum apud Cartesium, sicut in hac materia factum est, duo ut statuerentur parum inter se convenientia; praeter hoc quod primae quaedam sunt notitiae indices veritatis, at, cum rationes ex his ducuntur, dubiae repente sunt ac deus tanquam advocatus eis praesto sit necesse est, alia animadverti digna quae commemorem: unum est, libertatem arbitrii veram esse, sed omnia providentia divina praeordinari; quorum cum utrumque sit clarum et distinctum, vetuit de altero utro dubitari aut everti alterum altero, quemadmodum fecit Spinoza. Altera sententia duplex est haec: seriem causarum esse infinitam, sed deum esse primam causam, quae tamen sic conjunxit, ut censeret, per se spectatam esse causarum seriem infinitam, sed cum haberemus ideam dei sive primae causae, eandem terminari. Denique duas substantiarum proposuit definitiones; quarum altera est: substantiam esse rem, quae ita existat, ut nulla plane alia re indigeat ad existendum[22]); qua re ita definita cum substantia finita sublata videretur, hanc hujus dixit naturam esse, quae per se h. e. absque ope ullius alterius substantiae crea-

[22]) Princ. 14.

tae posset existere Resp. IV, 124, sed omnimodo e dei concursu penderet Princ. 14. — De substantiis universis nonnihil dicendum est. Extat Med. II, 12 celeberrimus locus de cera, ubi in ejus substantiam inquiritur: dinumerantur qualitates, ignique admota quales subeat mutationes describitur; quaerit, remanseritne adhuc eadem cera; fatetur remanere praecipitque omnium consensum. „Quid erat igitur, ait, quod tam distincte comprehendebam? certe nihil eorum, quae sensibus attingebam; nam quaecunque sub gustum odoratum visum tactum auditum veniebant, mutata sunt; remanet cera. Remotis igitur, quae ad ceram non pertinent, quid superest? nihil aliud quam extensum quid, flexibile, mutabile; non ex sensibus habeo, quid haec cera sit, ne ex imaginatione quidem, cum innumerabilium figura mutationum capax sit neque ego eas possim animo percurrere; restat, ut sola mente percipiam, atque id, quod putabam me videre oculis, sola judicandi facultate, quae in mente mea est, comprehendam. Distincta visa est cerae perceptio, postquam non ex solo visu vel tactu, sed pluribus ex causis innotuit. Jam mihi notum est, ipsa corpora non proprie a sensibus, vel ab imaginandi facultate, sed a solo intellectu percipi.“ Juvat curiosius inquirere, quid habeatur hac in re quidque effinxerit Cartesius haberi. Cerae gustus, odores, colores, tactus, soni mutati sunt; figurarum, quas receptura est, non potest definiri numerus; in ea sic varianda apertum est non manere eadem, at similia, sed additis causis, quare hanc vel illam subierit mutationem; hinc efficitur non esse plures substantias, verum eandem, quae cerae nomine venit; quas sensus et imaginatio prae-

buerunt qualitates, eas intellectus ad eandem rem pertinere judicavit; ut tamen illae qualitates notiores fuerint, haec notio substantiae nihil sit nisi unum illud nescio quid, quod his singulis subjectum esse cogitetur. Hinc Lockiana vel fortasse Kantiana notio substantiae emergit; at Cartesius effingit, corpora solo intellectu percipi ex eo, quod intelligantur. Adjungit his, in quo valde gloriatur, mentem esse notiorem quam corpora; neque enim quicquam cognoscere nos, quin idem etiam multo certius in cognitionem mentis nostrae adducat[23]). Sed hoc negligit, nulla tum alia re mentem nobis notam fieri nisi cognoscendis rebus; ut hanc de se scientiam acquirat animus, suum esse alia cognoscere, neque, id quod vult Cartesius, ut totus in se conversus se ipse contempletur, sed potius ad res externas feratur. Neque his in actionibus natura vel, ut ajunt, substantia animi oculis velut praesens ac manifesta cernitur, quemadmodum putabat Cartesius, sed creditur subesse et, quid per se sit, ignoratur; idem de corporis substantia dicendum erit. Quibus perpensis cum substantiae natura involuta potius lateat quam explicata et aperta sit, certissima illa sententia: diversis ideis diversas substantias subjici, nonnihil infirmatur, praesertim cum cogitatio et extensio, ideae et res, in mentem veniat, quam multa inter se habeant communia. Quanquam quae hodie fere valida reputantur argumenta ad probandum diversam esse a corpore naturam animi, in Dioptricis aliisque commentationibus saepe eadem inveniuntur, ac maxime illud: corpora motu agere, hos motus ab animo e natura sua in sensuum perceptiones commutari.

[23]) Princ. 3.

III.

Tertia pars erat, ut pluribus agendum videretur, quid de erroribus eorumque causis docuisset Cartesius; quod ut commodius faciamus, deflectemus de ea via, quam Cartesius secutus est, qui primum summo opere enisus est, ut deum culpa errorum humanorum liberaret, deinde eorum naturam explicavit. Neque enim fugere ipsum poterat, si, quodcunque in nobis est, a deo haberemus nec ullam ille dedisset nobis errandi facultatem, non videri nos posse unquam errare. His ex difficultatibus ut sese expediret, effinxit portenta opinionum, de quibus ultimo loco disputabimus. Nunc de errore dicemus; ejus locus secundum Cartesium non est in iis notionibus, quae sine affirmatione et negatione cognoscuntur[24]), verum in compositione notionum sive in judiciis; et adest, cum ideas, quae sunt in me, judicem rebus quibusdam extra me positis vel praeter meam cogitationem in rerum natura extantibus similes esse sive conformes nec sunt[25]). Igitur manare videtur — sic fere progreditur Cartesii oratio — e duabus causis simul concurrentibus, a facultate cognoscendi et a facultate eligendi sive libertate arbitrii h. e. ab intellectu et voluntate; nam per solum intellectum percipio tantum ideas, de quibus judicium ferre possum, nec ullus error proprie dictus in eo sic praecise spectato reperitur; voluntatem sive arbitrii libertatem amplissimam et perfectam a deo accepi; intellectus meus perexiguus est et valde finitus, at voluntas nullis limitibus circumscripta. Hujus est idem vel facere vel non facere posse, h. e. affirmare

[24]) Resp. IV, 144. [25]) Med. III, 16.

vel negare, prosequi vel fugere; nam ad id, quod nobis ab intellectu proponitur, ita ferimur, ut a nulla vi externa determinari nos ad id sentiamus. Quantoque magis in eam partem propendemus, in qua rationem veri et boni intelligimus, tanto eam liberius eligimus; nam indifferentia infimus est gradus libertatis, et in cognitione defectum adesse testatur; ac si semper verum et bonum quid esset, clare videremus, nunquam de eo, quod esset eligendum vel judicandum, deliberaremus, atque ita, quamvis plane liberi, nunquam tamen indifferentes possemus esse. Verum latius patet voluntas quam intellectus; quam si non intra eosdem cum intellectu limites continemus, sed patimur evagari ad ea, quae non intelligit, ad haec cum sit indifferens, facile a vero et bono deflectit, fallitur, peccat. Velut quamdiu nulla intellectui ratio occurrit, alia sit natura cogitans ab re corporea an ambae sint eaedem, indifferentes sumus ad utrumlibet affirmandum vel negandum, vel etiam ad nihil de hac re judicandum. Neque haec indifferentia in iis solis est, de quibus intellectus nihil cognoscit, sed in omnibus locum habet, quae ab illo non satis perspicue cognoscuntur, itaque ubi non dantur certae et indubitatae rationes, sed sola conjectura utendum est, hoc est satis ad assensionem in contrariam partem impellendam. Quapropter quibus in rebus, quid sit verum, non satis clare et distincte percipimus, si quidem ab judicio ferendo caveamus, clarum est recte nos agere nec falli; sed si vel affirmemus vel negemus, tunc libertate arbitrii non recte utemur. Inest in hoc liberi arbitrii non recto usu privatio ea, quae formam erroris constituit. Igitur opera danda est, ne

unquam excidat animo, quotiens de veritate rei non liqueat, non esse judicandum; quam auream regulam tenentibus habitum quendam non errandi paulatim acquirere licebit. — Sed fecundissimi errorum cum videantur sensus esse, de his singularis quaestio instituitur Med. VI, 40 sqq. multa de his, ait, a natura, quae generaliter sumpta nihil aliud est quam deus, docti sumus, at summa cautione et prudentia opus est in his ne erremus. Nam sensuum perceptiones proprie a natura datae sunt ad menti significandum, quaenam composito illi, cujus una pars est animus, altera corpus, commoda sint vel incommoda, et eatenus sunt satis clarae et distinctae; at facile eo ducimur, ut utamur tanquam certis regulis ad immediate cognoscendum, quaenam sit corporum extra nos positarum essentia; de quibus nihil nisi valde obscure significant. Provocat hoc loco ad Dioptrica, ubi docuerat c. VI omnia, quae visu percipiuntur, nihil esse nisi diversos motus, ex quibus animus imaginem earum rerum, quae ponit esse harum sensationum objecta, natura sibi sua formet ac fingat. — Ne illud quidem dubitat scribere ad Gassendum Resp. V, II, 71: „cum pomum, quod forte venenatum est, judicas tibi utile esse in alimentum, intelligis quidem ejus odorem, colorem et talia grata esse, non autem ideo ipsum pomum utile esse in alimentum; sed quia ita vis, ita judicas.“ Nihilo tamen minus non potest negare, naturam hominis e mente et corpore compositi non posse non esse aliquando fallacem; nam et hydropici fauces siti arere consuesse, cum ei potus sit nociturus, et abscisso pede dolorem quendam saepe velut in ea parte sentiri. Haerere hoc in natura ce-

rebri et nervorum et sensuum his motibus in mente excitatorum; sed nullam aliam harum partium constitutionem ad corporis conservationem aeque conduxisse. Hos errores facile posse et emendari et vitari; nam omnes sensus in eis, quae ad corporis commoda spectent, multo frequentius vera indicare quam falsa, ac posse nos uti semper fere pluribus ad eandem; rem examinandam his addi memoriam, quae praesentia cum praeteritis connectat et intellectum, qui errandi causas omnes perspexerit. In Meditationibus haec disputata sunt; quaedam his adjicimus, in aliis scriptis extantia, sed ad hunc locum pertinentia. Utque ab iis ordiamur, in quibus meditationes desierunt, haec de sensu per sensum emendando leguntur Resp. VI, 164; etenim cum geometrae Parisienses sensum sensui subvenire censuissent et exemplum baculi, qui fractus apparet in aquis, attulissent, illum errorem negat Cartesius solo tactu corrigi; quia etsi ex tactu baculum non esse fractum recte judicemus idque eo judicandi modo, cui ab infantia assueti simus, qui idcirco sensus vocetur, non tamen hoc sufficere ad errorem emendandum, sed opus esse praeterea, ut aliquam rationem habeamus, quae nos doceat, credendum esse hac in re judicio e tactu potius quam e visu elicito; quae ratio cum in nobis ab infantia non fuerit, non sensui, sed tantum intellectui esse eam tribuendam; ideoque in eo exemplo solum intellectum esse, qui sensus errorem emendet. — Neque concedit solem jure quodam tantum nobis videri, quantus appareat; sed inveteratae consuetudinis ducit esse, quod astronomi non facile imaginentur, solem esse majorem terra, quamvis esse certis-

simis rationibus evincant. — His sensibus sibi persuaserat mentem in multis impediri ac nihil ad dei et sui ideas formandas juvari Resp. V, II, 70; ejus rei praecipuas causas esse animadverterat, quod primum ab infantia varia de rebus physicis, ut quae ad vitae, quam ingrediebatur, conservationem conferrent, judicia tulisset easque postea opiniones, quas tunc de ipsis praeconceperat, retinuisset; cumque mens illa aetate minus recte organis corporeis uteretur iisque firmius affixa nihil absque istis cogitaret, res tantum confusas se advertisse, et quamvis propriae suae naturae conscia esset, nec minus apud se ideam cogitationis quam extensionis haberet, quia tamen nihil intelligeret quin simul etiam aliquid imaginaretur, utrumque pro uno et eodem sumpsisse rationesque omnes, quas de intellectualibus haberet, ad corpus rettulisse. Ex methodo duos locos adscribam; unum, in quo est, nec imaginandi facultate nec sentiendi ullius unquam nos rei certos posse esse nisi cooperante ratione et intellectu; alterum, quo praecipitantiam et anticipationem opinionum diligentissime jubet caveri p. 14. In principiis nihil novi allatum est praeter hoc p. 11: mirum videri posse, quod unquam fallamur, quia nemo sit, qui velit falli; sed aliud esse, velle falli, aliud velle assentiri iis, in quibus contingat ut error sit nobis insciis; quin ipsa veritatis assequendae cupiditate saepe fieri, ut iis, qui non recte sciant, qua ratione sit assequenda, de iis, quae non percipiunt, judicium ferant atque errent. Horum librorum in margine quaedam manu Cartesiana adscripta olim fuerunt, quae Leibnitius in unum contulit, et Foucher de Careil libro edito cum omnibus communicavit; ad rem per-

tinent haec: in effectibus naturalibus examinandis pars causae si spectetur, longe sequi alia ac tota causa spectata. Ex epistolis unum affero: credere iis, quae ab aliis acceperimus, si falsa fuerint, non proprie errorem esse, modo ne nimis veritatem eorum asseveremus[26]); et animae nostrae eam naturam esse, ut uno quasi momento attentionem suam non praebeat nisi uni eidemque rei; hanc esse fecundam errorum caussam[27]).

In dijudicandis his de errore opinionibus primum illud reprehensione dignum videtur, quod errorem omnem ex notionibus transtulit in judicia; verum est id quidem, quidquid obversetur animo, esse in animo, at aliquantum interest, cujus id generis sit; utrum sint inania, levia, abhorrentia a natura, an firma, stabilia, naturae convenientia; ut enim quisque maxime haec vel illa animo complexus est, ita in judiciis facillime vel verum sectatur vel turpiter labitur. Sit error, qui proprie dicitur, in judiciis, ut placet plerisque philosophis, at falsum vel verum in notionibus non est negligendum; falsas dico eas notiones, quae facile judiciis materiam praebent erroris, veras, quae cum copulantur inter se, vera efficiunt enuntiata; quibusdam in locis haec ipse Cartesius significat, Resp. IV, 12, 7, 128, plerumque parvi pependit. Unde factum est, ut censeret ideas, prout sint operationes intellectus, nullo modo veritatem vel falsitatem objectorum respicere[28]), sed esse intellectum velut locum, quo notiones sive verae sint sive falsae colligantur, neque ab intellectu judicium ferri; atque in genere omnes species perceptionum seu cognitionum, quae reperiantur in nobis, posse vocari pas-

26) I, 115. 27) ibid. 28) Resp. IV, 127.

siones; actiones animae esse omnes nostras voluntates, quia experimur eas directe venire ab anima nostra et ex ea sola pendere[29]). Nec tamen sibi constat et eximit eas cogitationes, quarum objectum non sit materiale; pendere eas praecipue a voluntate, ut percipiamus; ideoque solere eas potius considerari ut actiones quam ut passiones[30]). — Ipse primas perspexerat et demonstraverat, ut unum hoc commemorem, visu nihil proprie menti exhiberi praeter picturas quasdam et eas quidem ex sola motuum corporeorum varietate constantes; cujus rei occasione mentem totidem diversas qualitates in his corporibus cognoscere, quot varietates deprehenderet in eo motu, qui ab illis in cerebro excitaretur[31]); at maluit haec omnia nominare passiones, quam id, quod verum est, intelligere, ex his sensuum velut datis animam actione sibi propria ac naturali imagines rerum effingere quasique efficere. Eas ideas, quae non videntur in materia versari, quae hoc habent singulare, ut in eis omnium rerum sita sit veritas, cum in passionibus adnumerare vereretur, ad voluntatem rettulit, cujus sit omnis, quae in animo nostro inveniatur, actio, atque in eadem voluntate posuit omne judicium. Ut exemplo fiat res manifestior, cum cogito vel me vel esse, notiones sunt in intellectu, at ubi conjungo et dico me esse, judicium est voluntatis. Jam apparet, cum intellectum in passionibus haberet, voluntatem in actionibus, quodcunque ita in animo esset, ut actio videretur esse, voluntatem esse ab eo judicatam. Id perperam factum est; inde omnis in hac parte error est repetendus; nam

[29]) De pass. p. I, art. 17. [30]) Ibid. art. 20. [31]) Resp. VI, 186; Diopt. c. VI.

voluntas versatur in rebus agendis et est, ut Graeci loquuntur, πρακτικόν τι, eligit bona, aspernatur mala, efficit aut res, quae non sunt, aut qualitates, quae non sunt in rebus; longe alia ratio est intellectus, qui versatur in rebus contemplandis aut dijudicandis et est θεωρητικόν τι, et Cartesiana voluntas hoc loco nihil est aliud, quam ut clare et distincte perceptis assentiatur intellectus vel statuat esse intellectum aliquid. Haec duo diversissima inter se — nam inter voluntatem hominum et cognitionem non raro mirum quantum est discrimen, ut altera pessima sit, optima altera — cum in eo conveniant, quod actiones sunt, Cartesius in eam lapsus est opinionem, ut differre ea omnino negaret. Bene Hobbesius Obj. III, 104 „non modo scire, inquit, aliquid verum esse, sed et credere vel assensum praebere aliena sunt a voluntate; nam quae validis argumentis probantur, vel ut credibilia narrantur, volentes nolentes credimus"; in quibus nomina nolentes volentes hoc dicunt, non dari in eis neque electionem neque effectionem; ac frustra Cartesius studuit haec eludere. — At si vel maxime verum esset hoc Cartesii decretum de voluntate, quaeso, quid fiet? Est ea nullis finibus circumscripta; ergo ad arbitrium affirmabit et negabit nec in verum incidet nisi temere ac nullo consilio. Quod cum minus placeat, negat Cartesius indifferentiam pertinere ad essentiam humanae libertatis Resp. VI, 161; pro hac, ut ajunt, formali libertate inducit materialem, quae convenientibus naturae se mancipet, ut tamen possit abhorrentibus in servitutem se dare, sed faciat illud capto consilio et liberrima voluntate. Is est assensus, quem veris accommodamus, facilis; sed videndum est,

ne ea libertas sit appellanda, cum rei veritate commoti non possimus non judicare veram esse eam. Perexiguus in hac re est finis veri et falsi; ratio notionum et judicii ex his facti est eadem atque ratio deliberandi et consilii capti; illa actio est intellectus, haec voluntatis; verum ea inter se multis modis colligata atque implicata sunt, cum et cognitio caute, prudenter, circumspecte facienda sit et electio scienter intelligenterque instituenda; at proprie dicendum est, veritati nos *libenter* assentiri, consilium *libere* capere. — Jam latius secundum Cartesium voluntas patet quam intellectus; hoc parum ad rem; nam quod nullo modo cadit in intellectum, non in rationem, non in imaginationem, non in sensus, quid ei est cum voluntate, quae ne ipsa quidem est sine aliqua cogitatione et modus est cogitandi? Novum illud et inauditum, quod ait, in quibus aliquid non sit perspicue cognitum, in eo esse paria ad diversa judicia momenta; nam verisimilioribus assensum adjungimus, vera cum nondum percipimus; haec est natura mentis; sunt ea, ut ajunt logici, praevia judicia et imperfecta, quae cum vera reppererimus, perficiuntur. Quod deinde habet, verum est, si prius ex nostra sententia emendatum fuerit: errorem esse, cum ea pro veris habeamus, quae non sint a nobis vere cognita h. e. ut ipse interpretatur, clare et distincte, ut nobis placet, ita, ut cognitio cum re plane consentire reperiatur. Ipse hujus erroris causam in libertatis arbitrii non recto usu sitam esse ait; nobis placet in cognoscendo errorem inde fere proficisci, quod judicia saepe non ad regulam veritatis tanquam ad lapidem Lydium examinaverimus; quod quale sit numque vitio semper sit vertendum, nunc

quidem in medium relinquimus, ac prius de Cartesianis placitis, quae sentimus, expromere pergemus. Atque id quidem evidens est sensuum eum judiciis, quoniam saepe in his fallebatur, quam plurimum esse diffisum; ad corporis commoda paranda et incommoda defendenda, non ad indagandas veritates data esse opinabatur; in his quoque voluntatem arguit, si quis forte insciens venenatum pomum edisset; sed in hydropico et similibus ab horrido illo decreto recessit et sensuum fallaciam quandam dixit esse; hoc concesso etiam eorum errorum, qui pertinent ad mentem, partem nonnullam ab arta unione corporis et animi repetebat, qua mens a prima infantia corporis potissimum velut vinculis constrictat eneretur. Nimirum ipse corporis affectionibus plurimum tribuebat; nam fieri interdum, ut phrenetici et dormientes varias species videant aut sibi videantur videre, quae oculis propterea non objiciantur; id evenire, si vapores cerebrum pulsantes partes illius, quae visioni inserviant, eodem modo disponant, quo ipsas mediante oculo disponerent objecta externa, si adessent[32]); et difficillimum ac multae industriae et laboris fatetur esse, contra mendacia affectuum bene praeparatum habere animum[33]); eaque jam ab initio professus est: animum adeo e temperamento et organorum corporis dispositione pendere, ut si ratio aliqua possit inveniri, quae homines sapientiores et ingeniosiores reddat, quam ad id tempus fuerint, illam in medicina quaeri debere[34]). Adeo mentem corporis mole oppressam censebat.

Contra hos sensuum errores in auxilium vocat alios sensus, memoriam, intellectum; intellectum cum adhibet

[32]) Diopt. c. VI, § 17. [33]) de pass. II, 209. [34]) Meth. 38.

ad sensuum perceptiones optime facit, velut in remo, qui fractus apparet, sive tactu id emendamus, sive alia ratione, sic fere progredimur, ut rationem tam subitae mutationis quaeramus; cumque aliunde constet non hic aquam esse causam, cum praesertim remus ex aquis eductus cohaereat, non esse judicamus fractum, sed apparere, ac deinde indagamus, cur ita appareat. Quae causae investigatio ad intellectum pertinet, qui proprie dicitur. — Similia sunt innumerabilia, quae primum praebent menti materiam falsi judicii. Turris quadrata e longinquo rotunda saepe videtur; nam ea est oculorum nostrorum constitutio, ut certo intervallo quadrata non distinguant a rotundis; cumque in sensuum perceptionibus ex iis, quae hi nuntiant, mens judicet, non potest non judicare turrem esse rotundam; cum appropinquamus, agnoscimus errorem, at is non erat vitio ducendus nec e voluntate pendebat. Ac licet postea noverimus turrem hanc quadratam esse, non tamen certo intervallo possumus a nobis impetrare, ne appareat rotunda; vetat aciei natura nec inveterata consuetudo culpanda erat. Ea caeli descriptio, quae a Ptolemaeo nomen accepit, diu obtinuit inter viros doctos; quid mirum, cum et terra stare sentiatur et sol currere cernatur? falsa evicta est esse; visis scilicet nitebatur, sed visis non omni ex parte satisfaciebat; itaque contraria ratio velut exercendo ingenio a Copernico assumpta est et, cum melius succederet, tanquam vera recepta; quae postea a Kepplero et Newtonio ita est explicata et omnibus partibus perfecta, ut astronomi glorientur, nullam esse tam absolutam omnibus numeris scientiam quam hanc, quae caeli mechanica appellatur.

Hoc unde habet? quia rationes cum rebus ac res cum rationibus conveniunt. Hoc tanquam luculento exemplo discitur, veritatem et posse inveniri et inveniri paulatim, ut, si non prius desistamus quaerere, dum cognitio plane quadret in rem, bonam de invenienda spem habere possimus. Neque sensuum ea natura est, ut timendum sit, ne parum faciant ad rerum cognitionem; ad vitam degendam qualescunque perceptiones sufficiunt, sed ne eae quidem a scientia tam remotae sunt semper, quam volebat Cartesius; at curiosis et attentis quam multa suppeditant ad naturam rerum e tenebris evolvendam; atque ea ipsa mens, quam Cartesius sensibus velut inimicam opposuit, quid repertum est esse aliud quam id quod cognoscit has res et his rebus cognoscendis sibi ipsum innotescit? — Neque in sensibus solum est, quod praebeat saepe materiam errandi, sed multo magis in formulis philosophorum componendis rationibusque concludendis; velut Cartesius, cum verum sit, me cogitare et esse, quoniam vera et clara et distincta soleant esse, claritatem et distinctionem cum hujus sententiae, tum omnium veritatum notam falso constituit; idem quia videbat voluntatem debere actionem nominari, quidquid in mente actio videbatur esse, ad voluntatem pertinere judicavit; et quoniam nobis, cum simus, dulcissima et gratissima haec vita est ac melius saepe videtur esse quam non esse, habuit existentiam pro perfectione. Possum alia id genus enumerare, quae omnia in eo falsa sunt, quod in rebus considerandis similia animadvertebant, dissimilia negligebant, in quo omnis fere philosophorum error consistit; quod cum maximi intersit, ut certo sciamus, itane res se habeat, placet

in hoc quasi campo errorum paululum latius excurrere, ac majore negotio investigare, quo ex fonte aliorum clarissimorum philosophorum errores manasse videantur ut, si ad unum facile omnes referantur, sententia nostra et probabilior aliquanto et certior evadat. Ac primum quidem Lockius, quidquid animo cernimus, id omne oriri a sensibus ratus est, quando quidem remotis sensibus, qua ratione scientia et cognitio pariatur, nullo modo perspici possit atque omnes ex usu rerum notiones petant; hoc modo, quia usu rerum menti quasi innotescunt, ex usu rerum fluxisse eas affirmat. — Monades statuit dari Leibnitius seu substantias simplices, quia dentur composita, neque enim esse composita nisi aggregata simplicium; verius erat dici simpliciorum, ac verissimum partium minorum quam erat totum, quae partes utrum sint simplices an compositae, inde non liquet. — Kantius, qui, ut aeternam acerrimorum ingeniorum dissensionem componeret, philosophiam a rebus sola ratione vel solis sensibus percipiendis avocavit et suos cuique parti et certos fines constituit, in hoc errore versatur, ut, quae natura menti indita et infixa sunt, quae a priori esse ajunt, ea, quia non proficiscuntur ex usu rerum, sed antecedere illum videntur, dicat contendatque non esse in re, verum in mente sola; non vidit magis esse consentaneum, et esse ea in rebus et esse in mente; sed quia cognitio horum principiorum non pendet ex usu rerum, idcirco censuit non dari ea in usu rerum, sed rebus quodammodo a mente affingi. Atqui evidens est, licet notiones temporum et spatiorum a priori insint in animo, nihilo tamen secius, cum applicamus ad res, non tam nos in

res, quam res in nos imperium exercere; quare enim huic ramo tria folia tribuimus, alteri novem, nisi quia non tam nos rebus, quam res nobis hos certos numeros praebent?

Jam tota ratio Fichteana hoc argumento conclusa est: naturam rerum mihi h. e. menti meae, quae ad res contemplandas se convertat, non obversari, nisi quatenus cogitatio quaedam et comprehensio sit h. e. quatenus mens res intueatur; hinc sequi, ut omnis rerum natura omnino sit contemplatione mentis effecta. Quid certius ac verius quam id, quo haec oratio fidem sibi confirmat? nam cum ea est mentis nostrae natura, ut omnis perceptione rerum et cogitatione constet, quid potest esse magis consentaneum, quam nihil quodammodo ad nos pertinere, quam quod firme graviterque comprehenderimus? deinde cum animus noster semper agat aliquid nec tam quiete, quam agitatione rerum et volutatione delectetur, neque nobis scientiam ullam comparemus, nisi mentis aciem intenderimus: quid magistra ac duce natura clarius et illustrius esse potest, quam omnis rerum cognitionis sine aliqua opera nostra mentem participem non fieri? Haec negare quis animum inducat? at ex his parva quam magna, ex his certis quam incerta, ex his veris quam incredibilia Fichte commentus est. Ad mentem nostram nihil pertinet nisi quod cognitum ac perspectum sit; inde efficit, nihil ut pertineat ad rerum naturam, nisi quod mens antea finxerit et formarit. Sine aliqua opera nostra nihil cognoscimus; inde concludit, omnia ex animo originem trahere. Earum rerum scientiam et artem, quas animus sibi comparavit, quibus utitur tanquam suis, quae

sunt ex universo collectae et in brevius coactae velut aliquod proprium universum et suum, ponit esse non partem universi, sed ipsum universum; mentis operam, sine qua nihil neque sentitur neque percipitur, ait esse solam rerum effectricem. Nec melior sane ratio est, qua ex mentis natura rerum naturas voluit aptas esse. Quoniam, ait, mentis est semper aliquid agere, affirmare vel negare, neque potest, cum ad finitas tantum res se queat applicare, non fines sibi ipsi circumscribere: ea necesse est velit et affirmet, quae uno nomine mundi complectimur. In quo quanquam illud verum est, nos sentire finibus nos circumscriptos esse, illud falsissimum, hos fines continuo illa qualia esse, e quibus in omni natura cohaerente et continuata cum omnibus suis partibus effectus est mundus.

Schellingius, postquam ab extruenda animo natura totus se ad dei et animorum fata canenda contulit, Aristotelem amplexatus, censebat materiam esse *τὸ δυνάμει ὄν*, rem non tam effectam, quam initium rei efficiendae, quo in genere voluit contineri et deum et animum et quidquid ubique est; quod placitum postea nullo verbo adjecto, cur id facere liceat — neque enim licet — ad physicorum materiam transtulit, parum considerans huic cum illa nihil nisi nomen convenire. De Hegelio nihil dicam hoc loco, quia ab aliis de hoc praeclare disputatum est. Lotzium et Herbartum non praetermittam, qui hanc, quae sensibus subjecta est materia, quae locum aliquem tenet et intervallis distinguitur, oriri docent ex iis rebus, quae non modo non cadant sub sensus, neque alicubi cogantur esse, sed simplices sint nec dividi queant in partes neque sint

materies, sed id ex quo materia haec varia et multiformis conflata sit. Quae sententia aliena est a physicis, a quorum opinione profecta videtur; hi enim plerique tanquam causam materiae ponunt esse corpuscula quaedam, quae sensibus nostris hebetibus et infirmis non queant percipi, ut tamen ea omni materiae qualitate minime careant; at Lotzium et Herbartum si sequare, materia fluit ex rebus, quae a specie et qualitate hujus materiae remotissimae sunt; quod qui fiat, intelligi nullo modo potest. — His exemplis inter se collatis perspicuum est, philosophos labi in sententia et errare, vel propterea quod, quae in quibusdam rebus habentur, ad omnes pertinere arbitrantur, vel propterea quod, quae aliqua ex parte similes sint res, eas putant in omnibus consentientes atque ejusdem esse naturae: quorum duorum errorum unus fons unaque origo est, nam committuntur, cum in rerum naturas, abrepti unius veritatis amore, non tales, quales sunt singulae, inquirant ac partem pro toto sumant. Non aliter hac de re statuit Spinoza suadetque, ut minime abstracte procedamus, ne quid de aliqua re affirmemus, quod actu in ipsius conceptu non est. — Longius digressa est oratio nostra, ad Cartesium revertatur; apud ipsum exemplum extat erroris nostrum ad morem explicati; nam quaerit c. II de formatione fetus, unde error natus sit mentem et vim vitalem pro una eademque re habentium; has reddit causas; primum quia mens sit principium quorundam motuum, hinc effici videri, omnium motuum causam eam esse; deinde quia mortua corpora et vita careant et mente, hinc mentem non a vita separatam esse; tertiam causam esse, quod in ignoratione internae

corporis naturae ejusque partium configurationis versarentur; quae non multum dissident a nostris; similiterque ait parte causae et tota causa spectata longe diversas existere rationes.

De causa erroris ipse sensit Cartesius, non posse omnem in liberum arbitrium conferri; sed esse multa, quae specie veritatis animum in errorem illiciant. In methodo praecipitantiam et anticipationem saepius increpuit; quae ad mores pertinent, quas vitandas censet, ne erroribus simus obnoxii; negat fieri oportere, ut prius rei assentiamur, quam omnibus ex partibus examinaverimus. Sunt illa vitia saepe causae errorum; neque essent, nisi insideret in animo flagrantissimum quoddam desiderium veritatis, quod velut stimulis excitat ad eam citius arripiendam. Sed praeterea causae errorum sunt plurimae: sunt in moribus, sunt in ingeniis, sunt in rebus; ipsorumque errorum diversa genera sunt. Sunt qui digni sunt, censoria velut nota qui afficiantur; sunt qui omni vituperatione carent, velut si quis in nomine errat, cujus error nullus est, ut est apud jureconsultos, si de corpore constat; sunt quidam inter hos et illos medii interjecti, qui partim excusationem habent, partim in vituperationem incurrunt. His in erroribus exagitandis et expellendis maxime occupatus fuit, sed qui in eis, quae gravissima sunt, Cartesium secutus est, Malebranchus in eo libro, qui est de inquirenda veritate; praecipuus est in enumerandis atque emendandis, qui Kantio se in disciplinam tradiderat, Kiesewetter in logicorum parte II. — Discrepant omnino de his philosophorum sententiae; Stoici cum Cartesio facientes errores et peccata hominum inde re-

petebant, quod ratione non recte uterentur. Thomas Aquinas in divinis rebus praesumtionem putat esse matrem errorum, cum reputent homines, sese totam dei naturam intellectu suo metiri, aestimantes scilicet totum esse verum, quod eis videatur, et falsum, quod eis non videatur; c. gent. l. I, c. 5; in humanis defectibilem esse intelligentiam nostram propter permistionem phantasiae et sensus l. III, c. 91. — Kantius, cum veritatem censeat esse eam perceptionem, quae in rem quadret, et perceptionem subjecto, ut ajunt, contineri, rem objecto, erroris voluit eam naturam esse, ut id, quod subjecti tantum sit, objecti esse putetur; nam duo concurrere ad perceptionem veri, sensus et rationem; cum ratione cum quid prorsus conveniat, non esse errorem; in sensibus, cum non sit judicium, ne errorem quidem esse; quae cum ita sint, necesse esse non in his singulis, sed conjunctis errori locus sit; esse, quotienscunque sensus ita se rationi immisceant, ut, quae solum ad subjectum pertinent, cum iis, quae ad objectum pertinent, concurrant illamque de via quasi deflectant[35]). Quid haec sibi velint, difficile est enodare; aliqua eis lux affunditur ex iis, quae sequuntur, ubi est: ad expellendum errorem esse unicuique cognitioni suum in mente locum tribuendum, ut singularum natura perspecta, quae necessitudo inter plures intercedat, cognoscatur. Sed omnia Kantiana animo si perlustrarimus, non erit dubium, quin haec senserit: errorem esse, cum ea, quae in mente occurrant, vel passim vel semper, nulla adhibita subtilitate quaerendi, ad naturam rerum referamus; sed errorem difficulter vitari, cum ea sit mentis

[35]) Critic. op. maj. ed. II, p. 350 et 51.

nostrae natura, ut vix nobis possimus temperare, quin quaedam, quae sunt subjecti potius propria, transferamus ad objecta. — Fichtio placuit errorem esse veram sententiam, sed quae a suo loco in alienum translata sit; nam negat fieri posse, ut quicquam perverse dicatur, nisi in alia parte vere dicatur; quod ni ita esset, ne in mente esse illud quidem posse[36]). Hegelius existimavit errorem esse particulam aliquam veritatis vel eam veritatem, in qua non sit perfectio neque absolutio, sed unde natura vehamur ad aliam veritatem quaerendam; hanc particulam si quis mordaciter teneat eamque tanquam omnem veritatem amplexetur, errorem esse. Fichteanus error confundendis rebus committitur, Hegelianus continuatione rerum discerpenda; quae definitiones omnibus generibus errorum parum conveniunt; causam erroris vix licet suspicari, quam in homine existimaverint: utrum, solo arbitrio hominem, qui in errore versetur, omnia miscere vel ad unam sententiam rejectis ceteris se applicare, an esse aliquid in rebus, quo in hanc viam ingrediendam veritatis specie sit illectus.

IV.

In liberum arbitrium omnes omnino errores Cartesius contulit, ut tamen hoc parte culpae levaret concederetque multa in rebus vel natura nostra esse, quae intellectui fucum facerent, quibus vix atque aegre resisteretur. Dubito an hoc excogitarit, deum ut a crimine liberaret, quem rerum cognoscendarum auctorem ac velut fidejussorem introduxerat; qua in parte, de qua

36) Jus nat. c. 37.

ultimo hoc loco nobis dicendum est, plurimum aestuabat laborabatque. Haec fere in hanc rem ab eo allata sunt: Quamdiu, ait, de deo tantum cogito, a quo habeo, quidquid habeo, erroris aut falsitatis nullam causam deprehendo; sed mox ad me reversus experior me tamen innumeris erroribus esse obnoxium, quorum inquirens causam animadverto non tantum dei sive entis summe perfecti realem et positivam, sed etiam, ut ita loquar, nihili sive ejus, quod ab omni perfectione summe abest, negativam quandam ideam mihi obversari et me tanquam medium quid inter deum et nihil sive inter summum ens et non esse ita esse constitutum, ut, quatenus a summo ente sum ereatus, nihil quidem in me sit, per quod fallar, aut in errorem inducar; sed quatenus etiam quodammodo de nihilo sive de non ente participo h. e. quatenus non sum ipse summum ens, desuntque mihi quam plurima, non adeo mirum est, quod fallar; hinc intelligo, contingere ut errem, quod facultas veri judicandi, quam a deo habeo, non sit infinita. Verum tamen cum error non sit pura negatio, sed privatio sive carentia cujusdam cognitionis, quae in me quodammodo esse deberet, neque videatur deus facultatem aliquam dedisse, quae non sit in suo genere perfecta, sive quae aliqua sibi debita perfectione sit privata, cumque in mentem veniat non posse a summo rerum omnium conditore quicquam factum esse, quod non sit omnibus numeris absolutum, et velle deum semper id, quod est optimum: accidit, ut haereat animus stupore mireturque, num forte melius sit nos falli[37])? Multa hic occurrunt, quae dissuadent, ne quid incaute inconsiderateve

[37]) Med. IV.

judicemus: primum nobis jam constat, naturam nostram esse limitatam, deum infinitam, ab eoque multa fieri posse, quorum causas ignòremus; ob eamque causam totum quoque illud genus, quod a fine peti solet, in physicis nullum usum habet; est enim temeritatis, fines dei velle investigare. Deinde non una aliqua creatura separatim, sed omnis rerum universitas spectanda est, quotiens, num opera dei perfecta sint, inquirimus; quod enim fortasse non immerito, si solum esset, valde imperfectum videretur, ut habens in mundo rationem partis est perfectissimum. Tum amplisissima est voluntatis libertas, qua perficitur judicium, quae quamvis in deo sit major quam in me tum ratione cognitionis et potentiae, quae illi adjunctae sunt redduntque ipsam magis firmam et efficacem, tum ratione objecti, quoniam ad plura se extendit, non tamen in se formaliter et praecise spectata major videtur; hujus liberi arbitrii perverso in usu inest ea, quae formam erroris constituit, privatio in ipsaque operatione, quatenus a me procedit. Iterum dicit esse de ratione intellectus finiti, ut multa non intelligat, et de ratione intellectus creati, ut sit finitus; at de voluntatis esse essentia, ut infinite pateat; hunc errorem, quia non sit ens, sed defectus, a concursu dei immunem esse. Hactenus Cartesius; hae omnia ad duo capita redigi possunt, primum, esse de natura intellectus creati, ut sit finitus, deque natura intellectus finiti, ut multa non intelligat; at voluntatem esse infinitam, quae cum non habeat, quid sequatur, facile eam vagari errore; deinde perfectionem universi quaerendam esse, ad quam cum singulae partes referantur, ut partes esse perfectissimas, per se spectatas

videri imperfectas neque debuisse deum in singulis partibus omnes perfectiones ponere, quas in aliquibus posuerit. His alia inculcata sunt, quae fere in eam sententiam dicuntur: non posse rationem afferri, qua probemus deum nobis majorem, quam dederit, cognoscendi facultatem dare debuisse; nec posse nos conqueri, quod deus non majorem vim intelligendi sive majus lumen naturale dederit; pro eo, quod largitus sit, esse potius gratias agendas illi, qui mihi nunquam quicquam debuerit, non autem esse, quod putem me esse privatum sive illum mihi abstulisse, quae non dederit. Quanquam facile fieri potuisse, ut, etiamsi manerem liber et cognitionis finitae, nunquam tamen errarem, nempe si vel intellectui meo claram et distinctam perceptionem omnium, de quibus unquam essem deliberaturus, indidisset; vel tantum si adeo firmiter memoriae meae impressisset, de nulla unquam re esse judicandum, quam clare et distincte non intelligerem, ut nunquam ejus possem oblivisci; ac facile intelligi, me, quatenus rationem habeo totius cujusdam, perfectiorem futurum fuisse, quam nunc sum, si talis a deo factus essem. Sed non ideo posse negari, quin major quodammodo perfectio sit in tota rerum universitate, quod quaedam ejus partes ab erroribus immunes non sint, aliae vero sint, quam si omnes similes sint; quae sententia ad illud, quod supra dixi, alterum caput pertinet. — In natura corporis contemplanda novae ortae sunt difficultates; hic, ut abscissi pedis fallentem sensum excuset, ait eam esse corporis naturam, ut nulla ejus pars possit ab alia parte aliquantum remota moveri, quin possit etiam moveri eodem modo a qualibet ex iis, quae inter-

jacent, quamvis semotior illa nihil agat, nec his motibus, qui fiant in ea parte cerebri, quae immediate mentem afficiat, nisi unum aliquem sensum inferri; quibus ita se habentibus nihil melius potuisse excogitari, quam si eum inferat, qui ex omnibus, quos possit inferre, ad hominis sani conservationem quam maxime et quam frequentissime condudat; experientiam autem testem esse, tales esse omnes sensus nobis a natura inditos, quos non esse mirum in quibusdam tamen fallere[38]). Nam praecipuam et maximam esse hominis perfectionem, ut firmam sibi facilitatem paret ab erroribus cavendi et studium et operam collocet in eis cum animadvertendis tum emendandis[39]). Haec assecuturos esse nos, si nullis rebus nisi clare et distincte cognitis assentiamur, et in eis, quae sensibus percipiuntur, his utamur conjunctis et praeterea memoria et intellectu emendemus. Verum, cum rerum agendarum necessitas non semper tam accurati examinis moram patiatur, fatendum esse, humanam vitam saepe erroribus esse obnoxiam et naturae nostrae infirmitatem esse agnoscendam[40]). His sententiis ex aliis libris vix quicquam, quod quidem alicujus momenti sit, addendum videtur, praeterquam quod Epp. I, 115 ait se iis, quae modo exposuimus, conatum esse propositam de errorum causa difficultatem illustrare, intelligendo scilicet, deum mundum creasse perfectissimum; nam posita contraria sententia cessare prorsus hanc difficultatem; et Epp. I, 110 affirmate dicit, deum adducere omnia ad perfectionem suam i. e. omnia collective, non singula sigillatim; etenim hoc ipsum, quod singularia quaedam pereant,

[38]) Med. VI. [39]) Med. IV, 30. [40]) Med. VI ult.

alia vero in locum eorum renascantur, unam esse ex primariis universi perfectionibus.

Explicatis de hac re Cartesii sententiis apparet, arduum ab eo opus susceptum fuisse, ut a deo optimo maximo in manifesta imperfectione mundi culpam omnem averteret. Hoc sibi persuaserat[41]) perspicuum esse, non magis fieri posse, ut falsitas sive imperfectio a deo esset, quatenus imperfectio esset, quam ut veritas sive perfectio a nihilo, vel, ut illud breviter dictum est, haud inepte quaeri, si deus esset, unde malum esset, si non esset, unde bonum. Multa in hac materia tractanda strictim percurrit, sed parum feliciter res ei successit; adeo omnes rationes haesitant et vacillant. Sed antequam singula velut ad obrussam examinemus, pauca quaedam monenda sunt. In primis tenendum est, magnam esse differentiam inter ignorantiam et errorem; ignorat, si quis non habet scientiam alicujus rei; errat, si credat se habere, sed sequatur, quod falsum est et a re discrepat. Deinde cavendum est, ne nomina negativi et positivi falso nobis imponant; veritas et error proprie referuntur ad mentem, in qua sunt et ex hac parte positiva sunt; sed veritas praeterea refertur ad rem aliquam, quacum convenit; error est, cum sententiae vel nulla omnino res respondeat vel non ea, quae creditur respondere. Hinc facile quis fallitur, opinatus veritatem esse positivum quid, errorem negativum, ut veritas videatur ens, error non ens, cum utrumque positivum sit et ponat aliquid, nec referat, quod verum in re sit, falsum in imaginatione tantum. Tertio loco attendendum est, quid sit nomen nihili;

[41]) Meth. 25.

quod ex theologorum de creatione doctrina petitum non rem aliquam designat, sed, cum dicunt, res ex nihilo factas esse, hoc dicunt, cum res antea non fuerint, deo jubente coepisse esse; neque in his nomen ex nihilo materiam significat ex qua, sed excludit; quare si dicimus rem ex nihilo factum esse, idem est atque illud: rem a deo creatam esse. Denique de negatione et privatione aliquid dicendum est: negatio logicorum est rem non esse asseverantium; privatio secundum Cartesium carentia est cujusdam perfectionis, quae in aliqua re quodammodo esse debebat, sive, ut Wolfius in Ontologicis definivit[42]), defectus alicujus realitatis, quae esse poterat seu quam esse per se non repugnat; ac potissimum, cum aliquid ita ad rem pertineat, ut in iis, quae rei naturam constituunt, adnumerandum esse videatur, si deest, defectus vel privatio appellatur, nimirum quia rem vel deficit aliquid de natura sua vel privari suis videtur. Itaque cum scientia naturae hominis aptissima sit, error est defectus vel privatio, non quo nihil sit, sed quia erranti deesse aliquid videtur, quod ad naturam hominis pertineat; neque malitia non ens dicendum erat, quia non debebat esse, quasi nihil esset omnino, quemadmodum dixit Cartesius quodam loco, si modo recte memini. — Tandem perfectio quid sit quaeritur; hujus naturam Cartesius non necessarium duxit esse prius definire ac describere, sed in eorum habuit numero, quae sint simplicissima ac per se nota, quae explicando obscurentur potius quam illustrentur[43]); est igitur perfectum id, quod, ubi animadvertimus, non possumus non judicare adesse. Sed interdum tamen

[42]) p. I, §. 273. [43]) Princ. 3.

perfectionis exempla quaedam nominavit, ex quibus haud scio an, quid valeat hoc nomen, cognosci possit. Olim in Germania cum in primis elementis philosophiae quaerendis animum defixum haberet[44]), velut forte fortuna occurrebat, omnia opera, quibus diversi artifices inter se non consentientes manus adhibuissent, raro tam perfecta esse quam quae ab uno absoluta fuissent; idem cerni et in urbibus extruendis et in civitatibus instituendis et in scientiis inveniendis. Haec est illa perfectio, cujus postea apud Leibnitium et Wolfium haec descriptio est[45]): perfectionem esse consensum in varietate seu plurium a se invicem differentium in uno; ipsum consensum esse tendentiam ad idem aliquod obtinendum; imperfectionem esse dissensum in varietate; dissensum ipsum consistere in contrarietate tendentiarum ad unum aliquod obtinendum; sive perfectionem esse convenientiam partium ad totum aliquod componendum. Ad hunc modum quae se habebant, et perfecta dicebantur et pulchra et ex his teleologia, quae vocata est, repetebatur, quia in his ratio quaedam et consilium rerum disponendarum esse videbatur et omnia ordinante natura ad finem aliquem perduci. Ab hoc genere perfectionis Cartesius minime est alienus; nam et in Dioptricis explicat, quo modo natura visui prospexerit, et in corpore humano sic ait esse omnia constituta, nihil ut ad conservandum melius conduxisset[46]); verum parum in his sibi constabat, de quo infra dicemus. Est et alia perfectio, quae non in disponendis ordinandisque rebus cernitur, sed in ipsa rerum varia ac multiplici existentia consistit, ut Cartesio quidem visum est. Nimirum esse

[44]) Meth. 7, 8. [45]) Wolf. Ontolog. § 503. [46]) Med. VI, 45.

cum poneret in perfectionibus, non potuit non sibi persuadere, omnia, quaecunque sunt, quando quidem sint, esse perfecta; haec existentia quamvis de omnibus, quamdiu sunt, eadem ratione praedicetur, tamen gradus quosdam statuit et existentiae et perfectionis; deum esse et qui summe sit et summe perfectus sit; huic subjecta esse finitam substantiam, accidens, modum, quae et minus sint et sint minus perfecta. Haec ratio admodum est infirma ac debilis; nam pro eo, quod dixit existentiam esse perfectionem, in hac ratione deprehenditur dici, sempiternum esse vel esse a se perfectionem esse; inde alterum utrum colligendum est: aut cum esse perfectio sit, omnia, quae sint, in eadem esse perfectione, aut, sempiternum vel a se esse cum sit perfectio, res, quae non sint a se nec sempiternae, non esse perfecta, aut harum rerum imparem esse rationem neque esse omnino eas inter se comparandas; ac si vel maxime demus veniam existentiam pro perfectione habendi, una est omnium rerum perfectio, quae cum sit, nihil obstat, quominus innumerabiles aliae in rebus imperfectiones sint; at in hac parte Cartesius tandem in eum delapsus est errorem, ut opinatus sit, quo plures sint res ac magis variae, nulla ratione habita, quam sint bonae vel convenientes inter se, eo perfectiorem esse mundum. Med. IV, 28; Epp. I, 110.

His praemissis veniamus ad decreta Cartesiana subtilius examinanda; ac primum quidque videamus; sed tenendum est quam maxime, constare Cartesio, deum perfectissimum esse nec facere nisi perfectissima. His velut vestigiis insistens nullam repperit in deo causam erroris; sed cum error adsit tamen et ubique praesens

sit, neque sit a deo, creditur esse ab eo, quod non sit deus; qui cum sit summe ens, fingitur error originem trahere a non ente sive nihilo. Haec aut nihil dicunt aut sunt falsissima; nam nihili nulla sunt praedicata, nulla essentia, nullae facultates; quidquid ex nihilo ajunt esse theologi, id omne volunt esse, cum antea non fuerit, per solum deum; itaque qui errorem confert in nihilum, is omnem confert in deum; at si nihil pro re habeatur nescio qua, quae in creandis rebus dei potentiam infregerit neque omnes perfectiones receperit, id quod veteres de materia sentiebant inerti et cessatura, si nemo moveat, hoc Cartesius, ut erat animus ejus christianis dogmatis addictus, ipse respuisset et aspernatus esset. Quod nos querimur nonnunquam, res humanas fragiles esse et inanes, omnem vitam nihil esse vel umbram fallacem, est ea ipsa imperfectio nostra, non causa hujus imperfectionis, sed ea demum quaerenda est. — Neque, quoniam judicandi facultas, quae in nobis est, non est infinita, efficitur, ut erremus, sed ut non omnia cogitatione complectamur sive in ignoratione quarundam rerum versemur; sed cum finita videatur esse ea, in qua collocati sumus, mundi constitutio, ab hac ignoratio haec videtur debuisse abesse. Ne ipsi quidem Cartesio haec ratio satisfecit; monet, ne quid temere de hac re, ne quid incaute; nos esse finitos, deum infinitum; sed id ipsum quaerimus, cur sit; nam finitum sive limitatum esse imperfectio est secundum Cartesium; neque liquebit, si omni ex parte finiti sumus, unde sit notitia infiniti, quae est in nobis. — Prohibet hoc loco Cartesius, ne id nobis praesumamus, ut fines dei indagare velimus; quorum cum duo

sint genera, alterum, quod cernitur in singulis rebus apte et ratione quadam compositis; alterum, quo quaeritur, rerum universitas ad quid velut ultimum perventura videatur, in quo consistat nec tendat ulterius: illud, quod immanentium vocant, admittit nonnunquam, ut supra demonstratum est, hoc, quod transscendentium appellatur, prorsus rejecit; sed ne in priore genere probando sibi constat; nam in Med. VI, 45, ubi ratio perfecta videtur, probat et admiratur, eodem loco p. 43, ubi de imperfectis agitur, reprobat hanc rationem tanquam denominationem extrinsecam, sumptam a cogitatione nostra, exempli gratia, hominem aegrotum et horologium male fabricatum comparante cum idea hominis sani et horologii recte facti. Alterum genus plane exterminavit ac negavit, fines, quos deus sibi proposuerit in creando universo, ingenii nostri viribus posse comprehendi[47]). Manet igitur propositio: mundum esse perfectissimum, neque, cujus hae perfectiones modi sint, explicatur. Nam quod ait non partes, sed totum spectandum esse, hoc vel maxime flagitat, ut dilucide explanetur, quae sit ratio ac finis totius mundi, ad quem singula apte et convenienter referantur. — Is locus uberius videtur tractandus esse, quoniam vulgo fieri solet a philosophis, ut a partibus ad universum transferant perfectionem mundi. Ac primum quidem perspicuum est, perfectissimam sine controversia rerum conditionem eam esse, qua et singulis optime sit et universis; neque id videtur prohiberi rerum natura; nam ea, quae arte fiunt, habent saepissime quendam absoluti operis effectum, ut in Praxiteleis, Raphaëleis, aliis videre licet,

[47]) Princ. 50.

in quibus totum perficitur opus e singulis sine vitio perfectis; non sunt ibi omnes, quotquot esse possunt, perfectiones in unaquaque parte, sed in nulla est aliquid imperfecti, de quo sola quaestio est. Ac si vel maxime natura rerum non videatur pati, perfecta esse cum perfectis, sed alia aliis obstare, ea est interpretatio ejus, quam in manu habemus, naturae, non explicatio, cur ita sit; neque intelligi unquam poterit, cur perfectio perfectioni officiat; ut taceam, e singulis imperfectis non videri effici universi absolutionem. — De voluntate, quam causam erroris facit esse Cartesius, supra a nobis dictum est; restat una ratio, in qua multus est; nam saepissime ait esse de natura intellectus creati, ut sit finitus, et finiti, ut multa non intelligat; atque etiam sensuum errores nonnullos repetit a natura corporis, quae sit talis, ut ei vitari non potuerint. Est ea altera ratio rerum imperfectionis explicandae, quae multis philosophis valde placuit, dicentibus, pertinere ad naturam rerum creatarum, ut sint imperfectae; ne in ipsa quidem mente divina aliter res potuisse se habere. Hi nodum non solvunt, sed dissecant; causas malorum reddere cum non possint, non potuisse aliter res fieri affirmant, ne a deo quidem, voluntque, rerum naturam factam esse eam quidem a deo, sed qualis menti ejus ab aeterno fuerit obversata in eaque fuisse contenta in perfectione majoris partis pauca quaedam mala; quorum ratio non differt a profitentibus esse mala, quia sint, nec eorum rationem probabilem reddi. Cum his consentit hoc loco paene insciens Cartesius; etenim ait potuisse a deo dari scientiam non fallentem; sed melius fuisse adjicit, quosdam ab errore non esse im-

munes, ut scilicet omnes, non perfectiones, sed rerum gradus in mundo inveniantur; in haec tanta opinionum flagitia incidit, ut aliquo modo sibi rem videretur expedivisse. Illud verissime dixit potuisse a deo perfectam essentiam rebus dari; sensit nimirum levem et infirmam esse rationem negantium rebus creatis posse quicquam perfecti inesse; qui hoc secuti videntur deum esse infinitum; infinita creasse si voluisset, haec non potuisse ab ipso distingui, bis et quattuor futurum fuisse eundem deum. At patet creatas res satis nota creationis a deo separatas esse, et, cum deus perfectissimus habeatur, nihil impedire, quin summo bono increato creata bona summa adjecta sint. Latet in istorum sententia puerilis delectatio varietatis. — Non potuit Cartesius errores humanos, qui sunt in malis, cum ea, quam intelligebat, mundi perfectione conciliare; non usi sunt in hac re alii philosophi meliore fortuna. Non Augustino res successit, qui multum in ea re posuit studium; non Leibnitio, qui plurimam eisdem rebus operam navavit conscripsitque librum, qui aureus olim putabatur, invento ab ipso Theodiceae nomine; non iis, qui hujus memoriae principes in philosophia habiti sunt. Multa Cartesio cum Augustino conveniunt, atque haud scio an omnis doctrina de nihilo, de voluntate, de perfectione existentiae ab illo repetenda videatur. Nam is quoque rationem non tam erroris quam peccati i. e. malae voluntatis hanc identidem posuit[48]), quod de nihilo creatura facta esset; naturae auctorem esse deum, malae voluntatis efficiens esse nihil; nec malam voluntatem esse effectionem, sed defectionem; deficere namque ab eo, quod summe sit,

[48]) De civ. dei l. XV, 6.

ad id, quod minus sit, hoc esse, incipere voluntatem pravam. — Ludit hoc loco verbis; explanat, quid sit mala voluntas; quaeritur, quae sit causa malae voluntatis; sed videtur eandem esse censuisse cum mutabilitate, quae naturae communis sit; sic enim habet[49]): ea, quae fecerit deus, bona quidem esse, in quantum sint, verum tamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sint[50]): nam rebus, quas deus ex nihilo creaverit, esse dedisse, sed non summe esse, sicut ipse sit; at aliis dedisse esse amplius, aliis minus; mali nullam naturam esse, sed amissionem boni mali nomen accepisse[51]). Esse Augustinus ducit pro perfectione (ait enim dilucidis verbis de immortal. an. c. 2 melius est esse substantiam quam nihil); malum excludit a deo (cf. doctr. christ. I, c. 9: ex summa essentia, quae deus est, omne est, quidquid est, in quantum est; quia in quantum est, bonum est); negatque esse malum in natura; hinc ne quis putet non esse malum omnino, rejicit malum, quod esse sibi persuaserat, ad nihilum, oblitus ille quidem nomine nihili non affirmari aliquid, sed excludi, ut deo uni potestas rerum creandarum assignetur, neque differre deum et mundum, in quantum sint. Verum haec in hac ratione occulta latet sententia, quod non aeternum et immutabile sit, id quodammodo nihil esse; quare negat Augustinus in Soliloq. an. c. XV esse veritatem in rebus mortalibus; nam manere veritatem etiam rebus veris i. e. sensibilibus intereuntibus. Hac in parte ejus sententia a Cartesio paululum immutata est, non mutabilitatem rerum pro argumento imperfectionis sumente, sed quod non omnes perfectiones eis a deo

[49]) Ibid. XIX, 3. [50]) c. 2 ibid. [51]) XI, 3 ibid.

datae sint, cum deus impertire eas potuerit is quidem, sed qua absoluta est potestate, neque impertiverit neque eum impertivisse oportuerit. Cartesius nomen nihili ab Augustino sumpsit, rem, quotiens suum ingenium sequebatur, in beneplacito divino collocavit; Augustini animo obversata est ea sententia, dei esse, summe esse; cujus majestatem cum nihil aequare posset, res debere minus esse quam ipse sit i. e. per eum esse atque eas mutabiles, ut tamen ordinata mutabilitate universum id, quod immutabile sit, imitari reperiatur[52]). Hanc, quae Augustini animo obversata est sententia, Leibnitius postea suam fecit et, qua erat ingenii subtilitate atque acumine, novis rationibus instruxit, ut ita dixerit, quidquid, cum non fuerit, a causa acceperit, ut sit, neque sit totum aptum ex sese, a deo perpetuo habere, quot sint in eo perfectiones, sed quodcumque imperfectionis in eo inveniatur, id esse ab illa limitatione, quae ab essentia et origine rerum creatarum sejungi non possit (Principes de la nat. et de la gr. § 9). Quemadmodum autem infinita sint universa possibilia in ideis dei, ut ipsius jam verbis utar, quorum nisi unicum existere non possit, ita necesse esse dari rationem sufficientem electionis divinae, quae deum ad unum potius quam ad alterum determinet. Hanc rationem non posse reperiri nisi in gradibus perfectionis, quam hi mundi contineant, cum quodvis possibile habeat jus praetendendi existentiam pro ratione perfectionis, quam involvat. Id ipsum causam esse existentiae mundi melioris, quod deus vi sapientiae cognoscat, vi bonitatis eligat, vi potentiae producat (Princ. philos. § 55, 56, 57). Praeter id, quod

[52]) De immort. an. c. XV.

ei cum Augustino commune est, tacite loquitur haec argumentatio: deum quam plurimas res hoc mundo complexum esse; quod ut faceret, fieri non potuisse, quin singulae, quo aptiores inter se essent magisque cohaererent, aliquid de perfectione sua amitterent; nam multa, quae per se fieri possent, non posse esse una cum aliis. Verum haec ratio non a natura rerum, sed ab eo rerum ordine, qui in manibus est, petitur; nam quare perfectum perfecto obsit, non intelligitur. Adde quod speciosius quam verius ex ideis dei causa hujus, ut ita dicam, imperfecti perfecti sumitur; quid enim? deus continet et cohibet multa in ideis, comparat et contendit inter se, quocunque se vertit, habet imperfectionem occurrentem ibi; nihil vacat ab illa; sed cum melius ei videatur esse aliquid praeter se quam esse nihil, quod perfectissimum est ex imperfectis, id constituit, ut sit. At non licet statim deo tribuere, quod in nobis experimur, quibus, cum simus, ipsum hoc esse bonum videtur; deinde cui bono est, confugere ad ideas dei? cujus in ideis cum hoc universum fuerit tale, quale nunc est, praestat dicere res esse imperfectas, quia sint imperfectae. — Pluribus sententiam suam Leibnitius in Theodiceae volumine persecutus est; ait causam mali quaerendam esse in natura ideali creaturae, quatenus haec natura contineatur in veritatibus aeternis, quae sint in ideis dei nec pendeant ex ejus voluntate. Esse enim imperfectionem originariam in creaturis, priusquam peccent, quia creatura secundum essentiam suam finibus circumscripta sit; hinc accidere, ut non queat omnia scire et queat falli aliaque vitia committere[53]).

[53]) p. I, p. 131 l. l.

Negat formam mali habere efficientem causam; esse privationem vel ex iis, quae causa efficiens non agat; tria esse mala: metaphysicum, physicum, morale vel simplicem imperfectionem, dolorem, peccatum; omnia finita cum non possint non continere aliquid mali, deum permisisse. Neque enim deum creaturae omnia dare potuisse, quin deum eam fecisset; igitur oportere et esse diversos gradus perfectionum in rebus nec fines varios non esse[54]). — Ut mittam, finitum esse et errare non esse unum idemve, omnis argumentorum istorum ratio eo redit, esse malum, quia sit; nos deprehendere in rebus, deum repperisse in ideis. — Ii philosophi, qui post Kantium viguerunt, Schellingium dico et Hegelium, cum statuerent, esse aliquid perfectum et absolutum, quod sit omnia complexum, cui nihil absit, quodque undique aptum expletumque sit omnibus numeris et partibus, ex hoc tanquam fonte uberrimo omnes et res et cogitationes hauserunt; his placitis convenienter has res mutabiles ac finitas hominumque errores et peccata ad naturam absolutam rettulerunt, sed nolebant esse ejusmodi, in quo illud, quidquid est absolutum, acquiesceret, sed per quae suo quodam itinere ad ultimum i. e. se ipsum perveniret; singularum rerum perfectionem nullam esse, nec tamen eas esse perfectionis expertes, quia sint particulae quaedam perfecti. Quae ratio non dissimilis est Leibnitianae; nam imperfectio in natura rerum i. e. dei fingitur esse, ut est apud Leibnitium in ideis dei; sed cur ita sit, non elucet; creditur defenditurque esse imperfectiones, quas nemo negat; ad naturam dei referuntur, id quod tenebris lucem nullam

[54]) p. 144.

affundit. Praecipua mihi hoc loco commemoratione dignum videtur; sententiam eam, quae in Hegeliana disciplina summi momenti est, quam negativitatem appellavit, nihil significare nisi res finitas; ait finitum esse, quodcunque contradictionem involvat, contradictionem involvere, quodcunque ab aliis differat; Encycl. l. I, § 226; differre ab aliis, quodcunque determinatum sit; atqui omnem determinationem esse negationem § 91. Principium philosophiae suae judicavit ipse esse nudam notionem ejus, quod est; hoc se ipsum determinare i. e. esse absolutam, si nomini venia detur, negativitatem seque ipsum movens in partes dirimi § 238. — Longius evagata est oratio nostra; redeat ad Cartesium. Is misere sane laborabat, ut errores perfectissimo mundo velut jure suo vindicaret; illud bene, maximam ac praecipuam hominis perfectionem esse, ut in errorum frequentia, quantum potest, iis, quae vera sunt, studeat et firmam quandam facilitatem sibi comparet vitandi errores omnibus ingenii viribus attendendis exercendisque. Non sunt haec petita ex idea dei, qua adhibita his rebus caligo potius obducitur quam lux affunditur, verum sumpta ex rebus obviis, quae in hac tanta imperfectione hoc habent boni, ut mens inflammata atque incensa admirabili veritatis amore nunquam desistat eam sectari et paucis inventis veris bonam de futuro concipiat animo spem. Ac ne cui mirum videatur, me parum magnifice de philosophia existimare, non sumus ii, qui veritatem percipi ab hominibus posse negemus, at aliud est, ut nobis quidem persuasum est, idque omnium commune, summam veritatis tactu quasi interno comprehendere ac tenere, aliud, idque philosophorum, vera et

universa et singula explicare et quasi in luce collocare; sed nolo plura de hac re; non est hujus loci.

Quadripartita fuit disputatio nostra; primum quaerebatur, quae veri falsique internoscendi nota a Cartesio tradita esset; quaeque huic regulae consociasset; deinde quarum rerum ignorationem hac regula usus sustulisset; tertius locus erat de errore errorisque causa; quartus, qua ratione a deo veritatem repeteret, errorem defenderet, de quibus ita diximus, ut singulis partibus nostrum de hac re judicium ac sententiam subjungeremus. Omnia cum ratione animoque lustramus, quaedam ut vera probavimus, pleraque tanquam falsa rejecimus; ipsa illa regula, qua velut virgula, ut ajunt, divina omnia vera suppeditari videbantur, vera est ea quidem, sed verbis parum rectis concepta; quasque hac magistra ac duce veritates per se notas introduxit, earum major longe pars non placebat; quaeque ex his effecit de deo, de animo a corpore sejuncto, cum rationes essent leves, non erant firmae neque certae sententiae. Erroris novam et inauditam naturam statuit, ut ab intellectu removeret, in voluntate poneret totam; id quod non verisimile est eum fuisse facturum, nisi dei patrocinium ei fuisset suscipiendum, a quo suspicionem errorum immissorum depelleret; sed nec de voluntate ei constabat neque de deo probabilia attulit. Maximum sibi ipse invenit impedimentum, quominus res, quae in magna sunt difficultate, facile expediret, iis, quae de deo induxit; qui dubitabat num se falleret, quem cum auctorem rerum omnium esse statueret, non distinctis, sed confusis rationibus cum causis, optimam philosophandi viam se secuturum ratus est, si ex ipsius

dei cognitione rerum ab eo creatarum explicationem deducere conetur, ut scientiam perfectissimam, quae est effectuum per causas, acquirat Princ. 7. Theosophorum, qui dicebantur, olim hoc erat proprium, ut e natura dei rerum universitatem evolverent; quod nostris temporibus serpsit longius; at nemo ad hunc diem extitit, qui hanc artem professus sit, quin hanc, quae nos circumstat, rerum naturam ad dei naturam prius transtulerit quam inde repetierit. Liber ab his vitiis Cartesius est; dixit se facturum esse nec fecit; satis habuit certo tenere, deum veracem esse nec fallere; est apud eum deus velut fidei jussor et promissor veritatis, cui credentes ad vera invenienda indefesso studio tendimus. Ipse mirifice sibi placuit[55]), quod nusquam de infinito egisset, nisi ut se illi subjiceret, non ut determinaret, quid esset aut quid non esset. Ad quae explicanda deum adhibuit, poterat mittere; velut si animus et corpus et ratione et natura distincta sunt, possunt esse separata neque plus naturali lumine concludebat Cartesius, neque opus est deum facere separantem. Leges quasdam naturae ex idea dei deduci putabat Cartesius: prima est, unamquamque rem manere, quantum in se sit, in eodem semper statu nec unquam mutari nisi a causis externis; similiter, quod semel moveatur, pergere semper moveri; altera est, omnem motum ex se ipso esse rectum; tertia est de motu a corpore ad corpus transferendo; haec ait deduci posse ex immutabilitate dei. At, quaeso quae harum veritatum ex dei immutabilitate unquam judicata est manasse, nisi antea fuerint e rerum natura elementa sensibus hausta ac ratione ex-

[55]) Epp. III, 53.

culta? Nihil est dei immutabilitati cum his commune; similitudinem quandam ac speciem immutabilitatis gerere si quis dicere voluerit, non interdico; sed continuam mutationem corporum argumentum esse immutabilitatis dei non licet neque Cartesio affirmare neque cuiquam. — Exposuimus libere nostrum de philosopho Cartesio judicium regulam veritatis ac primas quasdam notitias constituente et ad deum referente; at longe alia de eodem sententia ferenda videtur ac summa admiratione summisque laudibus ingenium tanti viri prosequendum est animadvertentibus, quam scientiae formam ac speciem conceperit animo et in singulis quam multa vera invenerit et excogitaverit ingenti acumine sollertiaque mentis. Erat enim veritatis et cultor amantissimus et indagator acerrimus; quidquid ut probabile tantum afferebatur, propemodum pro falso habebat[56]); verum cum diffisus esset in scholis inveniri, cepit consilium ex se ipso et ex vasto mundi volumine quaerere; non ex vulgari locorum certorum inspectione petebat, verum ex intima ipsius difficultatis consideratione[57]); justum usum rationis esse in circumspecta et accurata complexione eorum omnium, quae ad quaesitae cujusdam veritatis cognitionem requirantur[58]); ac perfectam esse eam demum scientiam, quae sit concatenatio rationum. In omni quaestione a facilioribus ad difficiliora ordine ratiocinando operam dabat, ut perveniret; hocque ei praecipue propositum erat, ut de omnibus rebus ageret demonstrando effectus per causas et ostendendo, ex quibus seminibus quove modo natura quaeque produceret; in quo progressus est eo, ut, licet religionis causa

[56]) Meth. pass. [57]) Ad Voët. p. 27. [58]) Ibid. 22.

crederet omnia simul puncto temporis a deo creata esse, tamen conatus sit demonstrare, qua ratione ex his elementis rerum potuerit deus paulatim hunc mundum producere; nam naturam rerum creatarum multo facilius capi, cum sensim orientes conspiciantur, quam cum ut absolutae et perfectae considerentur[59]). Ut tum mira excellentissima ingenia cupiditas incesserat novae philosophiae condendae et ad usus vitae communis accommodandae, — nam mancam esse quodammodo atque inchoatam cognitionem contemplationemque naturae, si nulla actio rerum sequeretur; eam autem cerni in hominum commodis tuendis maxime — ita Cartesius summa laetitia exultavit, cum primum notiones aliquas physicas generales sibi comparavit, earumque pleriсulum facere incipiens in variis particularibus difficultatibus observavit, quousque se illae ducere possent[60]). Ex his cognovit mox ad notitias vitae valde utiles posse perveniri et loco philosophiae illius speculativae, quae in scholis tum docebatur, practicam reperiri, qua cognitis viribus et actionibus ignis, aquae, aëris, astrorum, aliorumque corporum, quae nos circumstant, adeo distincte atque artificum artes noverimus, adhiberi pariter ea queant ad omnes usus, quibus inservire apta sint, atque ita nos velut dominos et possessores naturae efficere. Id esse maxime optabile, non solum ad infinitorum artificiorum inventionem, quae efficiant, ut sine labore fructibus terrae et omnibus commodis utamur, sed praecipue etiam ad valetudinis conservationem, primum haud dubie hujus vitae bonum ceterorumque fundamentum[61]). — Haec persequi et pertractare ei propositum erat; eo

[59]) Meth. 28. [60]) Meth. 28. [61]) Meth. 38.

omnia studia omnesque cogitationes dirigebat; quod ut commodissime faceret, conatus est primum generatim invenire principia seu primas causas omnium, quae sunt aut esse possunt, in mundo, ad deum solum, qui eas creavit, attendendo easque aliunde non educendo quam ex quibusdam veritatis seminibus, quae a natura nobis indita essent; postea expendit, quinam essent primi et maxime ordinarii effectus, qui ex his causis deduci possent; videbaturque sibi hac via cognovisse caelos, astra, terram, immo etiam in terra aquam, aërem, ignem, similia; quae essent omnium maxime communia simplicissimaque ac proinde cognitu facillima[61]). Principiorum, quae dixit, explicatio atque evolutatio in meditationibus maxime instituta est, de quibus est a nobis satis disputatum; minus ibi comparent, ex quibus aeternam sibi laudem peperit Cartesius, mathematica arte adhibita ab eo ad res naturales tractandas. Ipse ait Princ. II, p. 49 nullam se aliam rerum corporearum materiam agnoscere, quam illam omni modo divisibilem, figurabilem, mobilem, quam geometrae quantitatem vocent et pro objecto demonstrationum suarum assumant; ac nihil plane in ea considerare praeter illas divisiones, figuras, motus, nihilque de ipsis ut verum admittere, quod non ex communibus iis notionibus, de quarum veritate non dubitetur, tam evidenter deducatur, ut pro mathematica demonstratione sit habendum; et quia sic omnia naturae phaenomena possint explicari, nulla alia physicae principia admittenda aut etiam optanda esse. Idem cum in mathematicis auctor sit analyticae viae ac rationis, hanc, quam instituimus, disputationem inchoatam relinqueremus, nisi de mathematicis quid maxime

doceret Cartesius, explicaremus. Hic locus totam Cartesianam philosophiam, si quis alius, illustrat; nam in meditationibus iisque, quae his convenientia congessimus, philosophia Cartesiana habet quandam maturitatem suam ac tanquam plene cumulateque perfecta prodit; in eis, quae dicturi sumus, licebit videre hujus rationis initia ac progressus, utque a mathematicis Cartesius profectus ab his omnem spem firmae ac stabilis et cohaerentis inter se connexaeque scientiae hauserit animo utque in eis tractandis cum ingenium exercuisset, sic paratus ad philosophiam accesserit, multis ab illis ad hanc translatis; ut postea haec quoque, quae satis scite sola mente instructa et composita videbantur, a quibus ceteris rebus fidem petiverat, jusserit in dubiis esse, sed levi inanique sententia.

V.

Ut primum ex pueris excessit Cartesius atque ab iis artibus, quibus tunc aetas puerilis ad humanitatem informari solebat, ad majores res animum adjecit, cum ei jam artes ac disciplinae non tam certae et evidentis cognitionis viderentur, ut inscientia animum liberarent, in mathematicis tamen sibi persuadebat[62]) multa esse acutissime inventa, quaeque cum curiosos oblectarent, tum etiam in operibus quibuslibet perficiendis et artificum labore minuendo plurimum juvarent. Itaque his praecipue delectabatur ob certas et evidentes rationes, quibus niterentur; sed nondum praecipuum earum usum agnoscebat[63]); et cum ad artes tantum mechanicas utiles viderentur, mirabatur, fundamentis adeo firmis et

[62]) Meth. p. 3. [63]) p. 5 ibid.

solidis nihil praestantius fuisse superstructum. Nondum applicaverat animum ad quaerendum, cur haec scientia tam firma tamque inconcussa staret; satis nimirum erat iis confidere, quae rerum usus probasset, nec quisquam dubitationem unquam de his serio moverat. Post cum apud se constituisset, omnes, quascunque imbiberat, opiniones ex animo delere nec easdem recipere, nisi maturae rationis examen subissent, meditabatur, num quid inveniret, quod esset certum et exploratum, quod secutus novam sibi viam veri quaerendi patefaceret[64]). Praeter logicam artem analysis geometrica et algebra ad institutum suum facere posse videbantur[65]); nec tamen ei analysis veterum neque algebra recentiorum plane probabantur; putabat nihil nisi ad speculationes quasdam, quae nullius usus viderentur, pertinere; ac praeterea analysin in figurarum consideratione tam assidue versari, ut, dum ingenium acueret atque exerceret, imaginationem defatigaret ac laederet; algebram vero, ut tum doceri consueverat, certis regulis et numerandi formulis ita esse contentam, ut videretur potius ars quaedam confusa, cujus usu ingenium quodammodo turbaretur et obscuraretur, quam scientia, qua exsolveretur ac perspicacius fieret. Quae singula non habebant, ex conjunctis percepturum se cum speraret, ex Logicis et Mathematicis quattuor illas regulas sibi collegit, quibus usum confidebat se ad certam scientiam perventurum: ut nihil unquam velut verum admitteret, nisi quod certo et evidenter verum esse cognovisset; deinde ut partitione facta, tum ut certo semper ordine, denique ut omnia complectens et circum-

[64]) p. 8. [65]) p. 11.

spiciens in quaestione omni progrederetur. Longae illae valde facilium et simplicium rationum catenae, quarum ope geometrae ad rerum difficillimarum demonstrationes ducuntur, ansam ei dederunt existimandi, ea omnia, quae in hominis cognitionem caderent, eodem pacto se mutuo sequi[66]); cumque vidisset ex omnibus, qui ad id tempus veritatem quaesivissent, solos mathematicos aliquas demonstrationes i. e. certas et evidentes rationes invenire potuisse, satis intelligebat hoc fieri non potuisse, nisi illi in re omnium facillima versarentur; eam primam sibi duxit examinandam, ut ingenium quidem assuefaceret veritati agnoscendae falsisque rationibus non assentiri. Mox animadvertit, scientias mathematicas, etiamsi in diversis objectis versarentur, in hoc omnes convenire, quod nihil aliud quam relationes sive proportiones quasdam, quae in iis essent, examinarent; has solas consideravit[67]). Inde magnum statim fructum cepit; nam cum a simplicissimis maximeque generalibus incepisset, ordinemque deinceps observaret, singulae, quas inveniebat, veritates regulae erant, quibus post utebatur ad difficiliores alias investigandas, ut non modo multas quaestiones inveniret, quas difficillimas antea judicarat, sed etiam in eam opinionem veniret, posse a se determinari, quibus viis quousque ab humano ingenio solvi possent. Hanc methodum nulli singulari materiae cum alligasset, sperabat se non minus feliciter ea esse usurum in aliarum disciplinarum difficultatibus solvendis quam in geometricis et algebraicis. At non fugit Cartesium, illarum cognitionem e principiis quibusdam a philosophia petendis pendere; in ea vero

66) p. 12. 67) p. 12.

quia tum nulla satis certa principia inventa fuissent, non dubitavit, quin de iis quaerendis ante omnia sibi esset cogitandum. Coepit deinde omnia in dubitationem vocare, ut, si quid veri esset, eliceret; interim pergebat in methodo, quam sibi scripserat, exercenda, atque etiam aliquot sibi interdum horas assumebat, quibus utebatur ea non solum in quaestionibus mathematicis solvendis, sed etiam in quaestionibus ad alia quidem pertinentibus, quae tamen ab eorum non satis firmis fundamentis sic abducebat, ut propemodum mathematicae dici possent[68]); cujus rei exempla multa extant in dioptricis et meteoris. Ad id tempus propter fidem mathematicorum vera et esse et inveniri posse sibi persuaserat; at in metaphysicorum fundamentis jaciendis, omnibus corruentibus, ea quoque prostravit, et quia viderat aliquando nonnullos etiam in rebus geometricis facillimis errare ac paralogismos admittere sciebatque idem sibi posse accidere, quod cuipiam potest, illas etiam rationes omnes, quas antea pro demonstrationibus habuerat, tanquam falsas rejecit. Animi deinde et dei natura perspecta, ut sibi videbatur, cum ad alias veritates quaerendas se accingeret, considerabat[69]) in primis illam rem, quam geometrae tractant; concipiebat ut corpus continuum sive ut spatium infinite longum, latum, profundum, divisibile in partes tum magnitudine tum figura omnimodo diversas et quae moveri sive transponi possint omnibus modis; aliquas quoque ex simplicissimis demonstrationibus sibi revocabat. Non eum fefellit magnam illam fidem, quae eis omnium assensu tribuatur, inde esse, quod valde clare et distincte intelligantur; hoc

[68]) p. 19 ibid. [69]) p. 23 ibid.

convenire cum regula ab ipso inventa; deinde attendit nihil plane esse in eis, quod se certiorem faciat, illam rem, in qua versentur, extare. Nam quamvis satis videret, si poneret dari aliquod triangulum, ejus tres angulos necessario esse duobus rectis, nihil tamen inveniebat, quod persuaderet esse triangulum alicubi. Non agit hoc loco de idea trianguli, sed de triangulo aliquo sensibus offerendo; ideam statuit[70]) veram esse ac vera in se habere, propterea quod ideae nostrae in omni eo, quo sint clarae et distinctae, entia quaedam sint atque a deo procedant nec possint in eo non esse verae; ne si dormiendo quidem quis geometra novam demonstrationem invenisset, ejus somnum impedire, quominus vera esset, si idea valde distincta niteretur. Ad mathematica illud quoque pertinet, quod jactat[71]) de methodo in physicis sibi usitata, ea demonstrari effectus per causas et ostendi, quibus e seminibus quo modo natura illa producere debeat.

Atque haec de mathematicis in libro, qui est de methodo, disputata sunt; veniamus ad ea, quae de iisdem in meditationibus dicta sunt, ut tamen ea omittamus, quae cum his, quae allegavimus, plane conveniunt; illa afferam, si qua vel subtilius vel diversa ratione explicata videantur. Ac primum quidem ordinem mathematicorum in his quoque secutus est, ut praemitteret, ex quibus proposita quaestio penderet; antequam de ipsa quicquam concluderet[72]). In prima meditatione Arithmetica Geometrica aliasque ejusmodi artes ex illa, qua omnia velut quibusdam undis et fluctibus immergit, dubitatione exemturus videtur; neque enim

[70]) p. 24 ibid. [71]) p. 29 ibid. [72]) p. 2.

ea nisi de simplicissimis ac maxime generalibus agere, et utrum sint in rerum natura, parum curare, sed certa et vera continere videri; etenim sive vigilemus sive dormiamus, duo et tria conjuncta esse quinque, quadratum non plura latera habere quam quattuor; nec videri fieri posse, ut tam perspicuae veritates in suspicionem falsi incurrant. Huic conceptae animo sententiae veretur ne illud obstet, quod in mentem venit, num forte deus aliquis ita nos formarit, ut, quemadmodum jadicemus interdum alios errare in iis, quae se perfectissime scire arbitrentur, ita nos ut fallamur, quod duo et tria computemus vel numeremus quattuor latera vel quidquid facilius etiam fingi possit. In tertia meditatione hoc ipsum repetit; confitetur, quotiens ad ipsas res, quas valde clare nos percipere arbitremur, nos converterimus, tam plane nobis de earum veritate constare, ut nostra sponte in haec verba erumpendum sit, fallat nos, quisquis potest; nunquam tamen efficiet, ut nihil simus, quamdiu nos aliquid esse cogitemus; vel ut aliquando verum sit, nos nunquam fuisse, cum jam verum sit nos esse; vel fortasse etiam, ut duo et tria simul juncta plura vel pauciora sint quam quinque vel similia, in quibus scilicet repugnantiam agnoscamus manifestam. — Apparet non pro tam certo atque explorato Cartesium habere, mathematica vera esse, deus si deceptor putandus sit, quam: esse eum, qui cogitet; sed in proximo tamen gradu veritatis ea collocasse; his communem regulam proponi; nam ita ea se habere, ut non possimus idem non judicare, quotiescunque in ea contemplanda incidamus. Differre quare voluerit haec omnino, difficile est suspicari; sive enim eam regulam sequare, quae

claris et distinctis jubet assentiri, sive hanc de repugnantia praeferas, mathematica ab illa prima omnium veritate non discrepant. — Ultimus scrupulus ut evellatur ex animo, de deo quaestio instituitur; in hac huc illuc versanda enumerat[73]), quae percipiat clare ac distincte de rebus corporeis, magnitudinem sive extensionem in longum, latum, profundum; figuram, quae ex terminatione illius magnitudinis exurgat; situm, quem diversa figurata inter se obtineant; motum sive mutationem ipsius situs; quibus adduntur substantia, duratio, numerus. Posse haec ab animo ad res translata esse; cetera, extensionem, figuram, situm, motum in animo, cum nihil aliud sit quam res cogitans, formaliter non contineri, sed quia modi substantiae sint, animus autem substantia sit, videri in animo contineri posse eminenter i. e. analogia quadam. Haec cum levia, tum falsa sunt; quando quidem animus et corpus conveniunt ea quidem in hoc, quod dicuntur substantiae, sed quam plurimum tamen differunt secundum ipsum Cartesium, censentem, animum cogitatione constare, corpus extensione, haec nihil inter se habere commune. — Ad eadem illa corporum praedicata mathematicis conjuncta redit meditatione quinta[74]); maxime considerandum esse, inveniri apud nos innumerabiles ideas quarundam rerum, quae, etiamsi extra nos nullibi extarent, non tamen dici possent nihil esse; ac quamvis a nobis ad arbitrium quodammodo cogitentur, non tamen fingi, sed habere veras et immutabiles naturas suas; nam cum triangulum imaginemur, etsi forte talis figura nullibi gentium extra cogitationem nostram extet, nec unquam

[73]) p. 20 ibid. [74]) p. 31 ibid.

extiterit, esse profecto determinatam quandam ejus naturam sive essentiam sive formam immutabilem et aeternam, quae a nobis non efficta sit nec e mente pendeat; patere hoc, quod demonstrari possint variae proprietates de isto triangulo, quas velimus nolimus clare agnoscamus, etiamsi de iis nullo modo antea cogitarimus, cum triangulum imaginati simus, nec proinde a nobis fuerint effictae; neque dici posse per organa sensuum istam ideam advenisse, quia innumerabiles figuras excogitare possimus, quas nulla suspicio esse possit per sensus illapsas esse, et tamen veras de iis non minus quam de triangulo proprietates demonstrari; has sane veras esse omnes, clare a nobis cognitas ideoque esse aliquid, non merum nihil; patere enim, omne, quod verum sit, esse aliquid, ut supra demonstratum sit; quod quamvis non sit demonstratum, eam esse naturam mentis nostrae, ut iis non possimus non assentiri, saltem quamdiu clare percipiamus; meminit hoc loco, se etiam ante id tempus ejusmodi veritates, quae de figuris aut numeris aliisve ad arithmetica vel geometrica vel ad puram omnem mathesin pertinentibus evidenter agnovit, pro omnium certissimis habuisse. Dei hinc veritatem asserit, cujus ideam non minus apud se inveniat quam cujusvis figurae aut numeri; jam non ex dei veritate mathematicis fides petitur, sed ex natura animi velut fonte communi et dei et mathematicorum veritas deducitur. — Id non obstat, quin paulo post affirmet[75]), ceterarum rerum veritatem e veritate dei ita aptam esse, ut sine illa nihil unquam perfecte sciri possit; non intelligit nimirum, deum, si,

[75]) p. 34 ibid.

ut causa, rebus efficiendis praesit, non idcirco cognoscendis a nobis debere praeesse. Porro ait esse nos ejus naturae, ut, quamdiu ad geometricorum demonstrationes attendamus, non possimus non credere ea vera esse; sed simulac mentis aciem ab illis deflexerimus, quantumvis recordemur clarissime nos percepisse, facile tamen posse accidere, ut dubitemus, sintne verae, deum veracem si ignoremus. Leviter haec inaniterque dicuntur; an, cum intuemur in mathematica, vera videbuntur, cum meminimus, dubia eadem erunt? adde quod similis de deo dubitatio oriri poterit. — Initio VI meditationis viam sibi straturus ad rationem concludendam, res materiales vere extra animum extare, hoc ait sibi jam constare, illa, quatenus purae matheseos objecta sint, posse extare, quando quidem clare et distincte percipiat; neque enim esse dubium, quin deus sit potens ea omnia efficiendi, quae nos ita intelligamus; ac nihil unquam ab illo fieri non posse judicari, nisi propter hoc, quod repugnet, quominus clare percipiamus. Ipsam porro imaginationem ad corpora ducere[76]); esse enim hanc applicatam cognoscendi facultatem ad corpus ipsi intime praesens ac proinde existens. Differre imaginationem ab intellectione; imaginari triangulum qui tres, quibus comprehensa sit ista figura, lineas tanquam praesentes mente intueatur; sed de chiliogono qui cogitet, intelligere figuram mille laterum, at mille latera neque imaginari neque praesentia intueri. Pentagonum et imaginatione depingi et ratione intelligi posse, ut apertum sit, esse aliquid in imaginando, quod non sit in intelligendo; neque requiri ima-

[76]) p. 36 ibid.

ginationem ad mentis essentiam; ergo illam non e mente, sed ex re a mente diversa pendere; hinc probabiliter conjici, perfici imaginationem, quia mens cum quodam corpore unita et conjuncta sit. Aliis praeterea corporum qualitatibus in examen vocatis, quae clamare videntur esse corpora, ne deus fallaciae arguatur, concluditur esse ea; dubitatur, num forte talia sint omnino, qualia sensu comprehendamus, quoniam sensuum perceptio in multis obscura sit et confusa; at ea certe in eis esse, quae clare ac distincte intelligamus i. e. omnia, quae mathesi a rebus certis abducta contineri videntur.

In methodo quae disputata sunt omnia, si animo ac ratione percurreris et perlustraris, non erit dubium, quin ab initio Cartesius, omni rerum cognitione et addubitata et desperata, propter mathematica tamen spem stabilis scientiae inveniendae retinuerit atque existimaverit, in scientiis singula velut numeros uno quasi tenore alterum ex altero aptos esse; principium sumendum a maxime simplicibus et generalibus, quae certa sint et evidentia, unde rebus ordine partim dividendis partim unum sub aspectum vocandis ad nova perveniatur. Hanc methodum, cum exercendo calleret eaque nova et inaudita in physicis repperisset, non tam describendo quid res essent, quam enarrando, qua ratione ac via gignerentur, ad philosophiam transtulit; sed in limine claudicabat; nam a mathematicis profectus, ut eorum, quae sensibus percipiuntur, fidem labefactaret, haec cum in summam dubitationem vocaret, non se continuit, quin ipsa illa mathematica, quibus, quid esset verum, fuerat edoctus, parum certa esse censeret; nimirum cum praecipuus eorum usus cernatur in his, quae aspectu

et tactu sentiuntur, de his cum dubitaret, ne de illis quidem non potuit dubitare. Veram causam ejus, quae mathematicis velut innata est, fidei non perspexerat; quare, si non de natura trianguli, certe de existentia, ut ajunt, ambigendum putabat. — In meditationibus Cartesius, cum haberet ejus ratio jam quandam maturitatem, oblitus, quantae initio utilitati mathematica fuissent, apertius ac subilius ea in dubitationem adducebat; nec tamen ipsi sibi persuadere poterat, non esse mathematica vel certissima vel certissimis parvo intervallo proxima; a quo statu ea deturbare statim conatus est, ne quid deum veritate antecellere videretur; idcirco finxit eam opinionem, animum, quia substantia esset, hos modos diversae substantiae, totum in se conversum, a se posse sumpsisse. Non infitiatur, animum propter claras harum rerum et distinctas ideas vera ea credere; at, ne quid sine deo certum videatur, comminiscitur, quae contemplantes suapte natura vera cognoverimus, ea memoria repetentes, quin vera sint, nos dubitare; quod qui cupiat vitare, ei ad deum esse confugiendum. Denique ut suo quasi jure mathematica a sensibus sibi repetere possit mens, differentiam statuit inter imaginationem et intellectionem; neque id injuria; nam imaginantis non est, omnes figuras depingere cogitatione, at intelligentis docere, quid quaeque sit et quid cuique conveniat, quid minus. Brevi ut complectar quid interesse videatur inter methodum et inter meditationes in his mathematicis: in methodo patet, quam vim geometrica et arithmetica habuerint ad vera et in physicis et in philosophis quaerenda et detegenda, in meditationibus hoc idem occultatum latet, ut tamen interdum

eluceat, mathematica et per se fide digna esse et aliis praebere.

Deinceps dicendum est, si quid gravius de mathematicis vel ab aliis objectum vel a Cartesio responsum videatur. Duplicem ait[77]) Cartesius rationem esse demonstrandi, unam analysin, alteram synthesin; analysi veram viam ostendi, qua res methodice et quasi a priori inventa sit, adeo, ut, attente qui legat, rem non minus perfecte intelligat quam si ipse invenerit; sed si vel minimum quid negligatur, conclusi necessitatem non apparere, saepeque multa vix attingi, quia curioso perspicua sint. Contra synthesi per viam oppositam et tanquam a posteriori quaesitam (quamvis ipsa probatio sit saepe in hac magis a priori quam in illa) clare quidem id, quod conclusum sit, demonstrari, usurparique longam definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum, problematum seriem, ut, si quid ex consequentibus negetur, id in antecedentibus contineri statim ostendatur; sicque a lectore quantumvis pertinaci ac repugnante assensus extorqueatur; sed hac non, ut altera, satis fieri nec animos discere cupientium expleri, quia, quomodo res inventa fuerit, non doceat. Se analysin, veram et optimam ad docendum viam, secutum; synthesin in rebus geometricis aptissime post analysin poni, sed in rebus metaphysicis non item, cum primae notiones, quae ad res geometricas demonstrandas ponantur, sensuum usui convenientes facile a quibuslibet admittantur, ideoque nullam ibi esse difficultatem, nisi ut rite et ordine, quae inde sequuntur, deducantur, at in metaphysicis de primis notionibus laborari. Praeclare

[77]) p. 82 l. l.

hoc loco et analyseos et syntheseos natura explicata est, et analysis philosophiae vindicata; ac vere dici potest, gravissimos philosophos analysi semper usos esse atque inprimis Kantium; majoris etiam momenti est hoc loco, ipsum Cartesium illud velut arcanum revelasse, mathematica tanta perspicuitate atque evidentia gaudere, quod inter notiones mentis et rerum usus summa sit convenientia et consensio; quidquid est in intellectu, cum reperiatur idem esse in re, animus veritatis lumine perstringitur. — Hucusque sine ulla dubitatione Cartesius usus est hac opinione, mathematicas notiones non tam simulacra esse rerum externarum, quam *κοινὰς ἐννοίας* quasdam natura menti inditas et innatas, quae forsitan excitentur visis rebus, sed eas tamen quodammodo praecedant. Primus Hobbesius objecit[78]) triangulum in mente oriri ex triangulo viso vel ex visis ficto; cum autem semel rem nomine trianguli nominaverimus, quamquam pereat ipsum triangulum, nomen manere. His Cartesius brevissime, ut solet Hobbesio, respondit, nomen male confundi cum re significata, sed de triangulo ex solis visis petito nihil adjicit. Qua ratione mathematica inveniantur, docet locus responsionum V breviorum; constat, ait[79]) Cartesius, inter omnes philosophos ad veritatem inveniendam initium semper a notionibus particularibus fieri debere, ut postea ad universale accedatur; quamvis etiam e contrario universalibus inventis aliae particulares inde deduci queant. Ita si puer in geometriae elementis instituendus sit, hoc principium generale: si ab aequalibus aequalia demes, quae restant, erunt aequalia, aut: totum ejus singulis

[78]) p. 105. [79]) p. 143.

partibus majus est, non capiet, nisi particularibus exemplis illustretur. — Magnam deinde illam quaestionem, unde mathematicae notiones originem trahant, dilucidis verbis attigit Cartesius, p. 185; negat quicquam ab objectis externis ad mentem organis sensuum accedere nisi motus quosdam corporeos; sed ne ipsos motus quidem neque figuras ex iis ortas a nobis concipi, quales in organis sensuum fiant, ut fusius in dioptricis explicatum fuerit; unde sequi ipsas motuum et figurarum ideas nobis innatas esse. „Vellem, ait, doceret me quispiam, qui sit iste corporeus motus, qui possit in mente nostra formare aliquam ideam communem, exempli gratia, quae sint eadem cum tertio, eadem esse inter se, vel quamvis aliam; omnes enim isti motus sunt particulares, notiones vero illae universales, nullam cum motibus affinitatem, nullam ad ipsos relationem habentes." Credit corporeis motibus animum nil nisi excitari ad res suis notionibus concipiendas nec generales sententias proficisci a motibus particularibus. Exprobrat[80]) deinde Regio, quod nullam intellectionem puram h. e. quae non in corporeis imaginibus versetur, admittat ac proinde sentiat, nullam de deo nec de mente humana nec aliis incorporeis rebus cognitionem haberi. Huic Cartesianae de mathematicis doctrinae longe acerrimum ingenium Gassendus opposuit; is notiones omnes docebat peti a rebus, sed dividi, componi, amplificari ab intellectu; itaque haec scripserat: triangulus quidem mentalis est veluti regula, qua explores, rectene aliquid dicatur triangulus; at non est propterea dicendum talem triangulum esse reale quid, veramve naturam praeter

[80]) p. 188 l. l.

intellectum, qui solis visis triangulis materialibus illam formavit et communem fecit. Unde ne existimandum est quidem, proprietates demonstratas de triangulis materialibus idcirco ipsis convenire, quod illas mutuentur ab ideali triangulo, cum ipsi potius in se habeant, nisi quatenus intellectus ex ipsis inspectis easdem illi tribuit, redditurus postea inter demonstrandum. Quaerit porro: si fueris orbatus hactenus omnibus sensuum functionibus, ut nunquam neque vidisses neque tetigisses varias superficies, num tu putas, te ideam trianguli alteriusve figurae habere aut efformare apud te potuisse. Arguit praeterea falsam trianguli naturam, quae fingatur constare ex lineis, quae latitudine careant, continere aream, quae profunditate, terminari ad tria puncta, quae omnibus partibus destituta sint. Non tam serio quam ludificantem ait Cartesium dicere videri, se ante id tempus, quo de deo ratiocinia collegerit, minus fuisse certum de veritate geometricarum demonstrationum, quam postea fuerit. Nam profecto has demonstrationes tam evidentes et certas videri, ut per se assensum extorqueant ac semel perceptae non sinant intellectum haesitare, non magis quam illud: cogito, ergo sum. Ne illud quidem admittit, objecta purae matheseos, punctum, lineam, superficiem, quaeque ex his constent, quae indivisibilia appellentur, posse extare. Tollit distinctionem, quam Cartesius inter imaginationem et intellectionem figurarum statuit; eandem esse vim, alteram distincte, alteram confuse cognoscendi. Haec in novam rationem longa oratione fulmina contorta effugere studuit Cartesius et in adversarium retorquere: persistit in ea opinione essentias rerum mathematicasque veritates, quae

de ipsis cognosci possint, e deo pendere; quia deus sic voluerit, quia sic disposuerit, ipsas esse immutabiles et aeternas; quod sive durum cuipiam sive molle videatur, sufficere esse verum. De essentiis, quae clare et distincte cognoscantur, qualis sit trianguli alteriusve cujusvis figurae geometricae facile se coacturum, ut fateatur unusquisque, illarum ideas, quae sint in nobis, non esse a singulis desumptas. Objecta purae matheseos qui neget extare, ei fatendum esse, nihil ex iis, quae ad geometricorum essentias pertinere intelligantur, unquam extitisse, ac proinde istas essentias non esse ab ullis rebus extantibus desumptas. At esse veras et conformes illi rerum naturae, quam deus considerit; non quo sint in mundo substantiae longitudinem habentes sine latitudine aut latitudinem sine profunditate, sed quia figurae geometricae non considerentur ut substantiae, sed ut termini, quibus contineatur substantia. Neque se concessurum[81]), ideas istarum figurarum nobis unquam per sensus fuisse illapsas, ut vulgo sibi persuadeant; etsi enim haud dubie dari possint in mundo, quales a geometris considerentur, nullas tamen tales nobis dari, nisi forte tam minutas, ut nullo modo sensus nostros attingant; nam componi plerumque ex lineis rectis, at nunquam ullam partem lineae, quae quidem recta sit, sensus nostros movere; illas, quae quam maxime rectae nobis visae sint, perspicillis examinatas plane irregulares et undarum instar ubique incurvas esse; quare cum primum infantes figuram triangularem in charta depictam adspexerimus, non potuisse nos hac figura doceri, quo pacto verus triangulus, qualis a geo-

[81]) p. 73 l. l.

metris consideratur, esset concipiendus; quia non aliter in ea contineretur, quam velut in rudi ligno Mercurius; sed quia jam antea in nobis fuisset idea veri trianguli et facilius a mente nostra quam figura magis composita picti trianguli concipi posset, idcirco visa ista figura composita non hanc ipsam ac potius verum triangulum a nobis apprehensum fuisse; eodem plane modo, quo, dum respiciamus in chartam, in quo lineolae quaedam astramento ita ductae sint, ut faciem hominis repraesentent, non tam excitetur in nobis idea istarum lineolarum, quam hominis; id quod non contingeret, nisi facies humana nobis aliunde esset cognita essemusque magis assueti de illa quam de lineolis istis cogitare, quippe quas saepe etiam, cum aliquantum a nobis remotae sint, distinguere non possimus: ita triangulum geometricum ex eo, qui in charta pictus sit, agnosci non posse, nisi aliunde mens ejus ideam habuisset. Nec chiliogoni intellectionem esse confusam; distincte enim et clare multa de eo demonstrari; quod non fieret, si confuse vel nomine tantum conciperetur; totum simul clare intelligi, etsi non possimus totum simul imaginari; figuras geometricas esse corporeas, nec vero ideas illas, quibus intelligantur, quando sub imaginationem non cadant, corporeas esse putandas.

His in unum collatis testimoniis certissimum est, Cartesium censuisse, mathematica, quia in universum valeant et multa subtilius ac limatius, quam in sensibus est, explicent, non esse sensibus hausta, sed a mente petenda, ut tamen usui rerum conformia sint. In Principiis philosophiae his nihil adjicitur, quod quidem alicujus momenti sit; dubitatur de mathematicis

demonstrationibus propter easdem, quae supra expositae sunt, rationes; non posse nos iis non assentiri, quotiens ad communes notiones, ex quibus deducantur, animum adverterimus; quod cum non queat semper fieri, metaphysica illa de deo deceptore opinione facile ad dubitationem rapi nos; sed agnito deo non amplius mathematicas veritates debere suspectas esse, cum sint maxime perspicuae[82]). Durationem, ordinem, numerum a nobis distinctissime intelligi, si nullum iis substantiae conceptum affingamus, sed putemus durationem rei modum esse, quo concipiamus rem istam, quatenus perseveret; similiter nec ordinem nec numerum esse quicquam diversum a rebus ordinatis et numeratis, sed modos esse, quibus eas consideremus[83]). Haec dicit: mathematica et geometrica cogitatione illa quidem contineri, sed congruere cum rebus in iisque versari; concipi sine ullis certis rebus, at locum habere in rebus; exempli gratia deo agnito, ex hoc solo, quod habeamus ideam claram et distinctam substantiae extensae sive corporeae, quamvis nondum certo sciamus ullam talem revera existere, certos tamen esse illam posse existere; atque, si existat, unam quamque ejus partem, cogitatione definitam, revera ab aliis ejusdem substantiae esse divisam. Quae huic loco praemissa sunt de notionibus universalibus, non dicunt, mathematica a sensu perceptis sumi, verum, cum sint in mente, sensibus elici; semper hortatur ut meminerimus, quam clare cognoscantur in viso corpore magnitudo vel figura vel motus vel situs vel duratio vel numerus et similia. In parte altera extrema ea habet, quae supra a nobis

[82]) p. 4 l. l. [83]) p. 5 ibid.

posita sunt, in explicanda natura nihil a se considerari nisi quantitatis geometricae divisiones, figuras, motus; nihil de ipsis ut verum admitti, quod non ex communibus illis notionibus, de quarum veritate dubitare non possimus, tam evidenter ducatur, ut pro mathematica demonstratione habendum sit. — In literis identidem affirmat, mathematicas veritates e deo pendere, qui cum omnium veritatum prima et aeterna et sola causa sit, ne has quidem eximi[84]).

Hac mathematicorum natura quodammodo perspecta iisque ad res naturales explicandas adhibitis magnam Cartesius et apud aequales et apud posteros laudem consecutus est; quemadmodum enim in omni quaestione mathematica censebat debere dari aliquod medium inter extrema, quo conjungantur vel explicite vel implicite, velut circulus et parabola ope coni[85]): sic omnia ad naturam pertinentia statuit contineri mathematicis, quibus propter partitiones, divisiones, figurarum variationes motum adnumerabat, cumque haec secutus sensuum perceptiones invenisset oriri motibus diversis ad animum a corporibus pervenientibus ab eoque suam in naturam commutatis, animum a corporis natura plane sejunxit. Non semper erat ipsi idem animus eademque sententia, sed erat tempus, cum omnes notiones, quas de intellectualibus rebus habebat, ad corpus referre consuerat Resp. VI, 165. Extant adhuc ejus rei exempla quaedam apud Foucher de Careil, ubi haec sunt[86]): „ut imaginatio, ait Cartesius, utitur figuris ad corpora concipienda, ita intellectus utitur quibusdam corporibus similibus ad spiritualia figuranda, ut vento, lumine;

84) p. I, 110; 120. 85) Foucher de Careil I, p. 30. 86) p. 10, p. I.

inde altius philosophantes mentem cognitione possumus ad sublime tollere; ventus spiritum significat, motus cum tempore vitam, lumen cognitionem, calor amorem, activitas instantanea creationem[87]); omnis forma corporis agit per harmoniam; plura frigida quam calida et humida quam sicca, quia alioquin activa vis nimis cito victoriam reportasset et mundus non diu durasset; una est in rebus activa vis, caritas, harmonia[88]). Quae omnia attingunt paene philosophiam primam Schellingianam, certe remota sunt ab ea naturae explicatione, quam postea Cartesius probavit; neque debuit Foucher de Careil haec adhibere posterioribus scriptis intelligendis.

VI.

Illis mathematicis ac physicis non est dubium quin tribuendum sit, quod brevi tempore philosophia Cartesiana tot ac tam magnos admiratores imitatoresque nacta sit; nam illis receptis fides ceteris facilius adjungebatur. Claritas et distinctio cum et in iis et in brevi illa rataque sententia: cogito, ergo sum, tantae apparerent, non instituta subtiliore quaestione, assensu multorum comprobata est regula illa veritatis, qua servata obscura detegerentur ac patefierent. Praeterea commendabatur philosophus non a sensibus omnia repetens, sed rationi quam plurima tribuens; idque in singulis persecutus firmissimis validissimisque rationibus. De deo multi contra dicebant; at habet Cartesius, quo moveat vel acerrimos adversarios, cum quaerit, si deus non sit, unde in ejus notitiam venerimus; ac nullo ne-

[87]) p. 14 ibid. [88]) ibid.

gotio, quae his objici solebant, diluebat. Alterum caput erat de animo et corpore; quae dissimillima esse inter se cum diceret, facile omnium assensum extorquebat; hinc diversae naturae esse multis persuasit. De rebus bonis et malis pauca disseruit, ratus theologorum potius esse; sed quae habet, ex quibus postea Leibnitium de vita beata libellum exercendi ingenii causa composuisse Trendelenburgius ostendit, et conveniunt cum aliis placitis suis et sunt in multis utilia; velut illud bene dictum est de pass. I, § 45: passiones nostras non posse directe excitari vel auferri per actionem nostrae voluntatis, sed indirecte per repraesentationem rerum, quae soleant jungi passionibus, quas habere velimus, et quae contrariae sint iis, quas velimus rejicere. — In nonnullis mira usus est prudentia et moderatione; non enim pauca sunt, quae, cum utrumque veritatis nota velut signatum sit, repugnare videntur, quae suis locis nominavimus; quae placebat Cartesio non submovere neque alia aliis labefactare et evertere, ut postea Spinoza fecit, sed relinquebat suis in locis. In quo Kantii similior est, cui cum Cartesio hoc aliud convenit, quod a Francogallis Cartesius auctor habetur novae ac verae certaeque philosophiae, nostris civibus Kantius extitit princeps et ad ingrediendam et ad suscipiendam novam ac prudentissimam eamque feracissimam philosophandi rationem. Longum est accuratam horum summorum virorum contentionem facere; pauca dicemus. Primum ut sunt acerrima ingenia veritatis cupidi nec levibus rationibus contenti, utrique magna erat cura rerum cum animi cogitatis conjunctarum; utrumque dubitatio ceperat, quaenam ex ideis, quae in animis humanis oc-

currnnt, sint totae in animo conversae, quaenam sint rerum ideae extra animum extantium. Cartesium maxime movit ea, quae in sensibus saepe deprehenditur, fallacia; iis, quae menti velut intimae ac proximae videntur, notitiis, magis fisus est; inde deum introduxit rerum cognoscendarum velut auctorem ac fidejussorem hominibus. Kantii, mathematica et physica, ut patet in prolegomenis, probatissimae et exploratissimae veritatis esse rati, perculsus est animus summa philosophorum disceptatione de deo, de animi immortalitate nunquam non certantium; his ductus antinomias induxit, ut mens ipsa a se dissentire videretur et essent contrariarum rationum in eadem re paria momenta; quare illa e metaphysicis exterminavit, ad finem bonorum rationi consentaneum rettulit, quam partem philosophiae non deseruit, sed quam maxime excoluit ac locupletavit. Ad conservationem vitae potius quam ad rerum cognitionem sensus datos esse dixit Cartesius, e sola ratione scientiam hauriri; Kantius docuit afferre sensus, quae ratio formaret ac fingeret; sine hac nullam, sine illis inanem esse scientiam; verum tam alte is scrupulus, quem Berkeley et Humius ei injecerant, in animum ejus descenderat, utrum ideae sola mente terminarentur an haberent in rebus, quod exprimerent, ut negaret in logicis Jaeschianis posse eum unquam omnem eximi; neque enim in erroribus humanis ad dei veritatem provocare satis tutum putabat[89]). Ex claritate ac distinctione principiorum veritatem judicavit Cartesius; nisi generalia ac necessaria non admisit Kantius, sed eadem cohibuit a rebus sensu non percipiendis;

[89]) Proleg. 112, 113.

in his primis notitiis definiendis et enumerandis non parva reperta est Cartesii negligentia, Kantius via ac ratione processit, quamquam in hac parte multa nullo jure tanquam vera videtur sumpsisse. Mathematicis et physicis uterque plurimum tribuit; alter in inveniendis major erat, melior alter in ratione perspicienda; ut rem paucis comprehendamus, non sumus ei, quibus, quidquid placuit Kantio, pro eo sit equis viris, ut ajunt, pugnandum; sed si contentio fiat, uter utri praeferendus videatur, multa in singulis disciplinis et ingeniose excogitavit et acute repperit Cartesius, at in philosophia et copiosior multo et subtilior ac limatior et verior Kantius est.

VITA.

Natus sum Joannes Julius Baumannus a. d. X Kal. Maj. anni p. Chr. 1837, patre Joanne Henrico, opifice, cive Moenofrancofurtano, matre Magdalena e gente Wenzeliana, fidem professis evangelicam. Pari cum his dilectissimis parentibus loco fuit mihi ab anno inde fere aetatis quarto decimo Steitzius, doctor theologiae, concionater Francofurtanus, cui plurima debeo cuique aeternis beneficiorum et caritatis vinculis obstrictus sum. Scholam frequentavi urbis patriae Classenii et Fleckeisenii egregia opera graecis latinisque litteris florentissimam. Anno 1856 judicio magistrorum probatus cum egressus essem e schola, ad majora studia capessenda profectus sum Heidelbergum, inde Gottingam, postremum me contuli Berolinum. In his celeberrimis academiis per quattuor annos doctoribus usus sum viris clarissimis et humanissimis, theologis Hundeshagio, Rothio, Schenkelio, Umbreitio, Ehrenfeuchtero, Dornero, Nitzschio; philologis Kaysero, Starckio, Curtio, Sauppio; quibus viris omnibus optime de me meritis gratiam habeo maximam. Sed praecipuo quodam amore ab initio philosophiam amplexabar ac plurimum temporis atque industriae in philosophorum libris pervolutandis collocavi. Nam audivi paucos, praeter Rothium, virum in ethicis sanctum ac subtilem, Ritterum, philosophiarum explicatorem elegantissimum,

Lotzium, in naturali philosophia doctissimum ac facile hujus memoriae principem, Trendelenburgium, in omni parte philosophiae veritatis indagatorem prudentissimum; quos summos viros honoris causa nomino. Postquam deinde anno 1860 Berolini examen pro facultate docendi in scholis superiorum ordinum et post Francofurti examina duo muneris ecclesiastici suscipiendi causa sustinui, ex eo fere tempore primum praeceptoris, tum etiam adjuncti munus atque officium in gymnasio regio Joachimico Berolinensi mihi delatum est, quo adhuc fungor.

THESES.

I. Favent Bernaysianae de catharsi Aristotelia sententiae ea, quae de eodem argumento Kantius habet et in simili re Cartesius judicavit. Loci Kantiani hi sunt, anthropol. p. 171 ed. 1798: Quare fabulis tam tragoediis quam comoediis tantopere delectamur? Quia res quaedam in his tractantur difficultatum et angustiarum plenae, quae animos suspensos tenent et metu, spe, laetitia afficiunt; hae variae affectuum commotiones peracta fabula animos eorum, qui spectarunt, gratissima quadam agitatione perfundunt. Ibid. p. 43 ait ludicris artibus animum nihil agentem non solum delectari, sed etiam varie motum quodammodo excoli; nam per vim affectus non posse edomari, sed his artibus suaviter esse mulcendos. — Cartesius haec scripsit ad Guisb. Voët. p. 25 ed. Elzev. 1672: ea est omnium hominum natura, ut non modo ad hilaritatem, sed maxime etiam ad quoslibet tristes animi affectus commoveri delectentur: hinc tragoediae non minus quam comoediae in theatris locum inveniunt; atque etiam in ecclesiasticis concionibus magnum est solatium turbae non malae, sed imperitae, quod possit aliquando pie commoveri, pie irasci, pie potentiores aspernari.

II. Si qua philosophice dicta sunt, quamquam non nostra via ac ratione explicata fuerunt, velut Indorum placita, non videntur ab enarranda historia philosophiarum sejungenda esse.

III. Ubicunque Schleiermacher naturam religionis explicat, optime is quidem naturam sensus interni exponit, sed deum non attingit, verum similitudine quadam religionis et sensus interni deceptus aliunde assumit.

IV. In ethicis Schleiermacheriana ratione nulla est praestabilior.

V. Lex causarum vi est regulativa potius, ut ajunt, quam coustitutiva.

VI. Jus naturae in omnibus causis et publicis et privatis servandum videtur.

VII. Parum probabiliter Pestalozzius et Herbartus dixerunt, ipsis mathematicis artibus animos institui atque excitari ad modum in omnibus rebus tenendum et decorum in vita omni servandum.